ERYCI PVTEANI

DIVA VIRGO ASPRICOLLIS:

BENEFICIA ejus & MIRACVLA Novissima.



LOVANII,
Apud Henr. Hastenium, & Petr. Zangrium.
cIɔ. Iɔc. XXII.

SERENISSIMAE
ISABELLÆ
CLARAE EVGENIAE,
INFANTI
HISPANIARVM,
OPTIMÆ PIISSIMÆQVE PRINCIPI.

Serenißima Domina,

IN terris ALBERTVS esse desierat, Principum ille verè Optimus, tuo etjam conjugio Maximus; & fuisse Optimum Maximumqúe publicus ubique mœror confessus est. Cùm omnium maderent

 ocu-

oculi, tuus ſe dolor pietate explicuit, ſolatium à Deo, & Dei Matre derivans. Conſecratis ſic quidem lacrymis, munus deſignas, quo majus eſſe non poterat; oblatura Divę, quicquid ultimis ipſa annis in Colle tibi culto patrâſſet. Miracula ſunt: & hæc igitur ſcribi voluiſti: nonne ut agnoſceres beneficium, quo vixit ipſe Princeps, cùm à naturâ jam eſſet quaſi abdicatus? Hoc ipſum Miraculum eſt, & mihi velut auſpicium, quo cætera enarrentur. Vixit, inquam, Princeps, cùm non poſſet vivere; ſtetitqúe fati neceſsitas, vi nu-

minis

minis repressa. Quis credat? Viscera vitaliaqúe defecerant, & in nullo jam quasi corpore, certè emaciato & consumpto, animus viguit; par etiam majestati suæ, quia à Deo regebatur. Nonnisi animus Princeps erat, & tanquam sine morbo, nihil de curis, minus de pietate remisit. Ergò & in Collem Asperum, Divam solenni tecum more veneraturus, postremùm profectus est; cumqúe ab Archiatris dissuasum esset iter, sanitatem pietati postposuit, beatum se fore prędicans, si fatali jam limiti proximus,

proximè ab Imagine Divæ exſpiraret. Sed confirmato ſic aliquantùm vigore, ſuſtinuit morbum, toto mox impetu invaſurum. Etenim Palatii penatibus redditus, graviùs affici cœpit; hactenus cedens malo, quòd remedia admitteret, in graviſsimis ſemper doloribus, quaſi nihil omninò pateretur, immotus animo & invictus. Totum hoc verò Dei negotium fuit; qui vivere Principem difficillimis Europæ temporibus voluit, & vel in ipſo morbo labantibus fulcrum rebus eſſe. Fuit ſanè, & poſtquam periclitari Religio &

ma-

majeſtas Auſtriaca deſiit, eſſe & ipſe deſiit: non jam relinquens corpus, à quo pridem erat derelictus; ſed animum Deo ac Æternitati jungens, cui vixerat. Tua igitur pietas, Sereniſſima Domina, cùm lugeret extinctum, conſervatum nihilominus agnovit: & cùm de funere omnes ſoliciti eſſent, circa Miracula amas occupari. Itaque à Te mihi ſcribendi provincia demandata eſt, id eſt honor habitus: ego tua juſſa, Divæ cenſui. Hęc enim ſuo conſervatum aliquamdiu beneficio Principem ſciri voluit, & pro Miraculo

lo

lo prorſus decumano haberi.
Facilem autem quidni ſcriptionem dicam? tuo morem imperio geſsi: quidni felicem? imperium tuum, imperium Divę erat: ſtilum ipſa direxit. Paucis: tuum hoc, quod exhibeo, opus eſt: juſsiſti. quemadmodum & Divę ipſius templum cenſeri tuum debet, quod tuo conjugiſqúe Principis juſſu, licet alienâ manu; tuâ pietate, licet alienâ arte ad faſtigium ſuum ſurrexit. Auſpicio igitur Serenitatis tuę legantur hęc ab omnibus Miracula jam Noviſsima; ſicuti & prima lecta ſunt: videbunt

bunt

bunt omnes Miraculorum Miraculum ipſum Principem eſſe. Vixit enim ille (fas ſic loqui) mortuus : ſuperfuit , cùm deſierat ; quod majus erat , quàm ſanari. Sed nos quidem digni etiam eramus hoc Principe; niſi dignior ille cęlo , non jam hominibus , ſed ſideribus meruiſſet ſtipari. Poſt plures victorias ſeipſum vicerat: non poterat niſi in cælo triumphare ; major jam, quàm ut augmentum in terrâ ullum admitteret. Nova ſceptra & diademata offerebat Fortuna (ac neſcio an in majorem incidere poterant) ſed ille neglexit,

imò reſpuit potentiam, quæ æterna non eſſet, anguſtum ratus, quicquid aut hominum arbitrio, aut vitę termino clauderetur. Sic quidem cùm novam nollet, ſuam quoq; paullopòſt cum vitâ purpuram exuit, cęleſti luce induendus. Quid? conſpicuus horridâ veſte jacere voluit, hominem ſe fuiſſe indicans, qui hominibus imperaſſet; Principem fuiſſe, quem nullius accuſare vitii vel hoſtes potuêre. Hoc profectò erat, hominem non eſſe; hoc erat, in terrâ non agere; hoc erat, Deum hominibus repræſentare. Iacuit tamen ille

ille Optimus, & ſuo nos funere docere voluit, quid facturi omnes ſimus, & quâ potiſsimùm virtute mortem ſuperemus. Cadaver ipſum, quid niſi ſummum pietatis exemplum fuit, religioſo cultu indutum? Fuit profectò, & ad lacrymas populorum affectum deduxit. Sic quoque ſpectavi Principem meum, imò Patrem meum, & ſemper ſpectare videor. Quid plura? In me nunc quoque recrudeſcit ecce dolor, & calami impetum interrumpit. Deſino: majori opere laudes ejus dicendę ſunt, cùm Vita ſcri-

betur : dicendę curę , consilia, opera ; in quę omnia tua nunc Virtus vocata est , & sufficiet. Astręa eris, ut suo pondere leges constent, & à Belgarum moribus nefas exulet : Bellona eris , ut justissimis & felicissimis armis pacem hosti extorqueas ; si violento libertatis nomine diutiùs ferociet ; nescius , sub Optimis Principibus suave obsequium, & felix otium esse. Quod ALBERTVS fecisset, Tu, Serenissima Domina, facies, & ALBERTVM Regio jam imperio exprimes : quem sanè, quamdiù superstes eris, amisisse

non

non videbimur. Pietas tua propitium reddet numen: Diva aderit, & felicia regiminis hæc auſpicia Miraculis nobilitabit. Lovanii, in Arce, Pridie Kalendas Aprilis, ∞. Iↄc. XXII.

MIRACVLORVM VERITAS.

VERITAS *Pietatis mater est, in profanis etiam rebus sancta, quâ solâ quicquid bonum & pulchrum, designatur. Sic & Miracula, quæ vera, id est, quæ Miracula, veræ Religionis signa & symbola sunt; & ex intervallo temporum emicant, tanquam incendia ex Aetnæo igni. Hæc etiam quæ scripsi, Miracula sunt, id est vera sunt; fide omnium & assensu digna. Hæc ista, quæ Diva Dei Mater in Aspero Colle patrare novo hoc sæculo cœpit, manifesta, multa, magna: de quibus qui dubitat, poterit & de universâ numinis potentiâ dubitare. Liquida Veritatis suffragio firmata sunt, diligenti & severo examine excussa, oculatâ testium, & religiosâ tabularum fide roborata. Quâ in re insignis sanè, & sancta Venerabilis viri* IO. BOVCAERTI, *Curionis Asperi Collis, industria exstitit, à quo mihi quæ scriberentur subministrata. Sanè oculis auribusq; pleraque nostris ingesta sunt; ut quia magna, crederemus vera esse: & quæ fieri non pos-*

possunt, tamen fieri. Clamant illi ipsi vera esse, facta esse, qui salutem suam Divæ debent; & magnâ adhuc parte superstites, ut testes sint. Ego quia vera esse, quia facta esse scivi, scripsi. Attolle oculos, & cælum vide; illinc derivantur; à Divâ sunt. Collem vide; hìc fiunt; & tamen à Divâ sunt. quam nos, quia cælum olim recepit, etiam in imagine, sed exemplo Majorum, veneramur. Nisi verus autem hic cultus sit, non siverit profectò Deus tot sæculorum errorem beneficiis cumulari. Ego ut non verus tantùm, sed & amœnus essem, versus inspersi; & scriptionem quibusdam quasi intervallis distinxi. Qui hoc genere eruditionis caperis, habes quo te oblectes: sin minùs, quod possis negligere. Lege, ut pius sis; vel pius esto, ut velis legere. Sed

ERRATA

ECCE paucula irrepserunt. hæc indicare candoris nostri est: humanitatis tuæ, sive emendare, si nævum nullum toleras; sive excusare, si te quoque hominem meministi.

Paginâ 7. & 9. in titulo scribe *Affricollis.* Pag. 13. lin. 10. *culcitrâ:* lin. 19. *agnoscat.* Pag. 31. in margine. ∝.Ixc.v. *Mense Februario.* Pag. 34. lin. 20. *Beaulievium.* Pag. 43. lin. 22. *ille.* Pag. 44. in margine, *Mense Martio.* Pag. 47. lin. 11. *ulcerosam.* Pag. 58. lin. 14. *reliquiæ.* Pag. 97. in margine, *Mense Septembri:* lin. 21. *Ea.* Pag. 122. lin. 23. *ducens.* Pag. 144. lin. 9, *premitur.* In Privilegiorum summâ, post verba ista, *Miracula Novissima,* insere, *aliosq;.*

AD

AD PARENTEM SVVM

ERYCIVM PVTEANVM,

τὸν θαυματογράφον,

IVSTVS PVTEANVS,

Filius πρωτότοκος.

QVID, Genitor, video? nova in Aspro lilia Colle?
Atque tuo video lilia picta libro.
Tu, quæ Diva facit, pingis Miracula flores:
Floribus his aliquod numen inesse reor.
O liber! ô Collis! flores, compendia rerum!
Quicquid Collis habet, continet iste liber.
Vt Collis famam per Solis utrumque cubile
Fert tuus iste liber: sic quoque fama librum.
Orbe struis toto, quot sunt Miracula, templa:
Et plures Colles Virginis ædificas.

EODEM AFFECTV

FAVSTVS PVTEANVS,

Filius δευτερότοκος.

MAgnum magna jubet scribendi ISABELLA *laborem:*
Scribe Pater; poteris: namque ISABELLA *jubet.*
Diva jubet; poteris: Magna hæc sunt θαύματα Divæ.
Illius hic fiet θαῦμα favore liber.

ERYCI

ERYCI PVTEANI

DIVA VIRGO ASPRICOLLIS:

BENEFICIA ejus & MIRACVLA.

PRÆFATIO.

Potentia Virginis. Cultu Miracula provocari: hæc adstructa.

VIRGO quæ Deum peperit, hominum quoq; amat Mater appellari. In cælos olim evecta, ut omnibus terras sæculis tanquam præsens bearet. Præsens, quoniam Deo proxima, qui ubique est: qui suam in Parente potentiam repræsentat, delecto etiam loco, in quo potissimùm coli Parentem velit. Sic nobiles nobis hodie, peculiari numinis beneficio, HALLÆ sunt; & magis magisq;, velut in viciniâ, COLLIS-

Asper inclarescit. Meruit verò constans Belgarum cultus tantum cæli munus: noluitque Virgo pietate vinci. Quàm potens, tam mitis est; & ut magis se testetur esse, Loco, & Imagine circumscribi Beneficia sua finit; quæ sic quoque terminum ignorent. Et Locus quidem olim Asper, nunc nomen duntaxat retinet: è monte & siluâ in oppidum, è solitudine in frequentiam commutatus. Imago exigua, & sic tamen magna. Templi majestas Collem, imò provinciam uniuersam implet; & ut scias majorem esse, excedit. Satis autem erat, Templum nominare: quippe augustissimum, tot Miraculis, quot saxis evectum; tot Beneficiis, quot sumptibus. Contendisse Virgo & homines videntur: hi, an magis Virginem colerent; hæc, an magis hominibus faveret. Neque ab Imagine hæc tam prolixa sive Miracula, sive Beneficia sunt: Sed à Virgine per Imaginem. Linguam & contumeliam comprime, quisquis hic oblatras: amat signum suum coli, sed velut signum. Hinc ad ipsam totus pietatis affectus transfunditur;

tur; & in cælum ſe dilatat, qui muris & lacunaribus ſacræ ædis videtur includi. Adeſte, audite: narrare pergo, quæ faciliùs admirentur plerique, quàm intelligant; ſed quæ tam certâ fide explorata ſunt, ut niſi credas, neges à Sole diem manare. Tibi ego, Sereniſſima ISABELLA CLARA EVGENIA, heroïcum pietatis prudentiæque exemplum, morem gero, & cœpta à I. LIPSIO ſcribi Miracula proſequor: non ingenii fiduciâ, ſed argumenti pietate; nec ſtili æmulatione, ſed obſequii promptitudine. Iuſſus ſum: & nónne id ſatis? impius ſim, niſi ultro hîc pius. Volo meâ ſponte: nec enim poſſum, cùm tot loquantur Miracula, ſilere. Corona à LIPSIO plexa eſt, & è vicino velut horto decerpta: hæc augebitur. Adjungam ſerta, ô Virgo, ut toties coroneris, quot Miracula ſunt; quæ niſi in ævum atque poſteritatem ſpargantur, non ſatis agnita nobis ſint, non ſatis intellecta. Sciri bona noſtra, felicitatis pars eſt: celebrari Beneficia tua, major etiam felicitas eſt; cùm tuam ubique gloriam in ſalutis cumulum

computemus. Et quomodo utiliùs igitur ſtilum aut mentem occupem? Cedant paullisper ſcriptiones aliæ, cogitationes aliæ, imò ceſſent: profanum puto, quicquid pietati non impenditur. Sed nihil æquè pietatem quàm Miraculorum veritas aut ſuſcitat, aut inſtaurat: quemadmodum verè breviterque D. Gregorius Nazianzenus: Σημείοις βεβαιοῖ θεὸς τὴν εὐσέβειαν. *Signis Deus confirmat pietatem.* Signa hîc autem ſive Miracula dico, Græcè θαύματα, quæ naturæ viribus majora, mero Dei beneficio à Matre-Virgine ſunt; ſed quæ à Matre ad Filium redeunt; à Virgine ad Deum. Deum eſſe, Virgo indicat: patrat quæ non poſſunt niſi à Deo proficiſci. Hanc verò poteſtatem Deus concedit Virgini; ut agnoſcamus homines Matrem, cujus ipſe eſſe Filius voluit. Summum Miraculum eſt, Deum factum eſſe hominem: homo enim non potuit fieri Deus. Item, Virginem eſſe Matrem: nam ut Mater fieret Virgo, ἀδύνατον erat. Virgo concepit utero & enixa eſt Deum: & è Virgine, qui Deus erat, natus

De funere patris.

eſt

eſt homo. Hoccine credis? At minus eſt, quicquid deinceps factum. Collige Miracula omnia, & hoc uno inferiora invenies: hinc fluxerunt. Dare cæcis lumen, ſurdis auditum, mutis vocem, claudis greſſum, ægris ſalutem, mortuis vitam an natura poteſt? Deus poteſt, quia Deus eſt, & homo tamen factus: Virgo poteſt, quia Dei Mater eſt, & ſemper tamen Virgo. Noli à Deo Virginem ſeparare: Filium eſſe, ſummum amoris vinculum eſt. noli incredulâ obſtinatione favorem elevare Virginis: id enim eſt Filii potentiam violare. Quid agitis prædurο corde factioſi & impii? Tanquam indigni bonitate numinis, removetis Miracula, quia non creditis. Et hic innocentiſſimæ pietatis fructus eſt; ut, qui agnoſcit vim numinis, Beneficiorum Divinorum capax ſit: qui in Virgine agnoſcit, opem ejus ſalutarem ſentiat. Quæ iſta Beneficia ſunt? Miracula ſunt. Quænam? manifeſta, certa, magna; non fide tantùm, ſed ſenſu, oculis, auribus, manibus explorata. Percipite igitur quæ recenti ſtupore, & plerumque in ho-

minum frequentiâ visa nobis sunt, audita, palpata. Percipite,& laudem Virgini, gloriam Deo date. Agnovisse quæ hactenus patravit Diva, pietatis pars est: ego, vt agnosci possint, facili stilo, & qui ornamenta ab ipsâ re accipiet, narro.

Auspicio Divæ narro, quæ Diva patravit
In rigido Mater-Virgo Miracula Colle,
Quæq; stili felix Romano LIPSIVS *ore*
Cœperat in dias producere luminis oras.
O pulchrum pietatis opus! quod LIPSIVS *egit,*
Hoc ago succedens, cedens: quò LIPSIVS *ivit,*
Huc eo, per majora ferens vestigia gressum.
Ipsa meam stimulis pietas mentemq; manumq;
Vrget: jam faciles calami laxantur habenæ,
Et niveum sulcatur iter; jam littera mentem
Atque manum sequitur, noctis signata colore,
Illatura diem sæclis, lux littera rerum.
Ire juvat, grandire gradum: pia vota viaï
Per saxa & salebras patefacto semita calle
Ducet ad optatam felici pulvere metam.
Ire juvat, Miracla vocant; & scribitur ipsa,
Quæ dabit ingenio vires, quæ Suada Suadæ est.

Nonne

Nónne potest, quæ summa potest? quæ numinis aurâ
Aeternâ fruitur? Fave, & hanc mihi numinis auram
Adspira; ut dextro scandam tua templa labore.
Mira meus scribet calamus; tua Imago loquetur:
Quæ facis, ô Virgo, dicere nónme potes?

MIRACVLVM I.

Paralysis, & gibberus tumor sublati.

VNDE ordiar, nisi ubi ille desiit quem sequor? Accipio initium, non capio; nexo magis argumento, quàm adjuncto. Stilus noster Miraculis servit, non Miracula stilo: & satis hæc multa, si selecta erunt. Sed ordior. ISABELLA CARILLIA, ANDREÆ PETROSÆ, Prætorianorum nostrorum Propræfecti uxor, Bruxellæ gravi morbo correpta; cùm nesciret, aut dubitaret se uterum ferre, ad remedia & pharmaca inconsulta venit: passa etiam venam sibi incîdi. Ma-

ꝏ.IↃC. IV. Mense Iunio.

di. Malum igitur cùm & medelâ augeretur, à Medico examinatum eſt. Quid ille? Præter morbum fœtum ſubeſſe; quia præceps gravidæ manus fuiſſet admota, majus inſtare periculum, ſive proli, ſive matri, ſive utrique. Medicus Vates fuit. Illa enim poſt menſes aliquot puellam enixa, cui LVDOVICÆ nomen datum, è puerperio obiit: hæc nutrici tradita, hauſtum à matre malum paullatim detexit, membrorum impotens, cùm velut ſine nervis brachia atque crura dependerent. Crevit hæc cum annis reſolutio, & puella jam quadrimula in pagum Berſelium lata, alumnæque tradita, videbatur in miſeriam creſcere. Etenim non ire, non ſtare poterat, non cibum in os ingerere: niſi quòd caput moveret, ſtatua erat. Aliud etiam à continuâ ſeſſione malum: in arcum incurvata eſt, gibbo è dorſi jugo protuberante, gemini pugni magnitudine. Alterum ſic quadriennium exactum eſt, cùm moleſtiam fortaſſis pertæſa mulier, ſed tanquam novis à Divâ Miraculis excita, Bruxellam, & ad patrem puellæ ſe confert,

rogát-

rogatque, ut in Asperum Collem monstrum humanum mitteret. Quàm desperata salus, tam prompta pietas fuit. Vult pater, velut non suo, sed divino consilio impulsus, delectis fæminis, quę cum filiâ proficiscantur. Currum illæ scandunt, Lovanium veniunt, ibidemque ab amicis exceptæ, quod reliquum erat diei transigunt, & pernoctant. Interea cùm puella, in limine hospitii collocata, discursantes lusitantesq; circa se puerulos videret, tanquam divinitus miseriam suam solata, *Et ego*, inquit, ***ubi ex Aspero Colle rediero, curram pariter ac ludam.*** Non profectò puella, sed Diva loquebatur; aut certè Divæ Miraculum innocentissimo ore puella prædixit. Lata in Collem, in sacellum illata, cùm preces pro salute ejus funderentur, & ipsa, sic edocta, opem Virginis humi imploraret, compellat alteram fæminarum, &, *Nonne vides*, inquit, *quàm blandum in me vultum Diva exserat? nutu & voce gressum promittit*. Sed blandiri ipsam sibi puellam diceres, & pio desiderio ludi, nisi amplius Diva posset. Di-

latum Miraculum eſt, ut manifeſtius eſſet: & revecta Bruxellam, reddita patri filia, adhuc non filia, ut Miraculum cerneret, qui de ſalute non deſperârat. Ecce è curru in ædes puella fertur, humi deponitur, dumque occupantur ſiſtentium manus, deprehenſa eſt ſuſtineri pedibus, imò ſtare. Miratur pater, mirantur qui aderant, & grates Divæ dicunt. Illa verò paullatim firmior, mox & greſſum moliri cœpit; niſi quòd ſedium & ſcamnorum ſubſidio niteretur. majori Miraculo, quia non cruribus tantùm, ſed & brachiis vires acceſſerant. Siquid naturæ relictum erat vitii, uſus emendavit. Etiam tumor dorſi, ſive deformitas omnis gibbera evanuit. Sed nónne addere pulchritudinem Diva potuit, quæ vires dederat? Sexum ſi audimus, amplius additum fuit, quàm datum.

Infelix, felix, geniali ſorte puella,
In gravida matris ſaucia viſceribus.
Eripuit genitrix, ſubducto ſanguine, nervos:
Nervos reſtituit Virgo Dei Genitrix.
Non fuit illa parens igitur, quâ nata fuiſti:
Quâ fuit ipſe Deus, contigit eſſe parens.

MIRA-

MIRACVLVM II.

Vulnus geminâ ſuppuratione putre tollitur.

∝.Ix. IV. Menſe Iulio.

STERILIS hæc profectò via non eſt: quocumq; veſtigium profero, Miracula occurrunt. Inſpicio ſingula, ſed ſeligo quæ decumana ſunt, temporis, non locorum ordine obſervato. Cùm in Colle ſum, ubique ſum: includit ille quicquid latè ſparſum eſt. Sic ubicumque ſum, in Colle ſum: ubique invenio Divam, quæ in Colle colitur. Ne errare igitur videar, annis menſibuſq; viam diſtinguo. ÆGIDIVS GRIFFIVS, in toparchiâ Hervenſi, ditionis tranſmoſanæ, domi ſuæ ſe rixantium pugnæ velut ſequeſter ingerens, propemodum furori victima fuit. Etenim tranquillus inter rabidos dum pacem clamat, ſævientis cultri ictum, & fortaſſis non deſignatum, dexterâ mamillâ excipit, mortuoque ſimilis prolabitur. Grave vulnus, ac licet peritis ſtatim Chirurgorum manibus commiſſum, difficile tamen curatu fuit. Poſt

totos octodecim menses, cùm jam coïtioni proximum videretur, majus ex occulto eduxit vitium, geminum, inquam, apostema, durum utrumque, rubens, inflammatum, & pugni instar. Ergò novo tormento recruduit dolor: accessit debilitas, & pectoris simul angustia, quæ modicæ etiam itioni spiritum negabant. Putares plura jam in eodem corpore, imò in eodem vulnere vulnera esse. Quid remedii? quia alia omnia frustra, quod ultimum & ambiguum, placuit: scindentis ferrum, & fortunam experiri. Dum id consilii capitur, accedit è contribulibus quidam, atque inter alios sermones, nova Divæ Aspricollis miracula enarrans, iter se in Collem cum sociis destinasse ait: &, *Quid si comes*, inquit, *fias? Quid si divinam, ubi tot profligantur morbi, opem flagites?* Ille subito desiderio correptus, iturum se sponder, cùm vix pedibus incederet; & quos à se capit animos, à Virgine audet vires sperare. Vxor autem, propinqui, vicini quoque, stultitiæ hominem arguunt, viæq; prolixitati imparem nituntur retinere.

Quid

Quid ille? accingit ſe, piæq; fiduciæ plenus, pedes peditibus ſe jungit, pari labore profecturus. Profectus eſt, & populares ſuos firmiori uſque veſtigio ſequens, moleſtiam itineris pio niſu exantlavit. Ergò admirationi omnibus fuit, præter morem alacer vegetuſque, cùm non ſine ſuſpirio pedem domo ſolitus proferre. Quietem nunc etiam ſomnumque faciliùs humi, quàm in ſpondâ geniali; in culmo, quàm in culcitâ inveniebat. Ivit in Collem, Divamque coràm veneratus, viſus ſibi ante imaginem Virginis laſſitudinem, & ſimul ægritudinem deponere. Quid dicam? depoſuit. Nam in reditu viribus comites ſuos vincens, ſine difficultate ullâ, non ibat tantùm, ſed præibat. Dolor quoque pectoris extinctus eſt, ipſaque adeò ſuppuratio ſenſim detumuit. Numinis opem quis non agnoſcat? plena, & paulloantè deſperata ſalus rediit: ipſe in Collem iterum, tertiumque; ut gratias Divæ diceret ſæpiùs, quas æternùm ſe debere confeſſus eſt.

MIRACVLVM III.

Diuturnus ſanguinis fluxus repreſſus.

∞. Iɔc. IV. Mense Augusto.

INCALESCERE calamus incipit, & impetu non ſuo moveri. Quid obſtaculi, ubi viam Miracula aperiunt? ubi majora homine omnia geruntur? Virgo religioſa MARIA HEYTMEIERIA, ſedè Laïcis, in cœnobio Herckenrodienſi Eburonum, acri profluvio ventris laborare cœpit, ſeſquianno continuo ſanguinem prolixè egerens. Fugerat è vultu languentis color, è corpore vigor; atque ipſam lectulo imbecillitas affixerat. Sic affici, mirum miſerumque erat: magis autem, irrita omnia remedia eſſe, anxiè undique quæſita, ſtudiosè & peritè admota. Vicit curam omnem artemq; morbus, & pro deſperato à Medicis habitus. Verùm quod hi non potuêre, Mater-Virgo potuit, in Colle ſuo, & non in Colle adorata. Huc ſe deferri ex voto Religioſa voluit, preces pro ſalute fudit, & parum tum quidem confirmata. Domum igitur rediens,

diens, cœptum pietatis cultum continuat; imò verò, tanquam adhuc in Colle esset, novendialem facit. Profectò & in Cœnobio Diva erat, non manu, sed numine ægram tetigit, & tristissimo morbo liberavit. Nono tandem die, cùm subitâ & admirandâ affectione corpus intùs commoveretur, fluxus cessauit: ac jam inter sanas haberi potuit, quæ mortuæ imaginem viva hactenus circumtulerat. Aut emendato corporis vitio, ægritudinem omnem exuit; aut vivere novo in corpore cœpit.

MIRACVLVM IV.

Aqua intercus, aliaq́ symptomata sublata.

ADHVC in sexum suum, imò in nomen Virgo benigna est, & ex ipsis locis maritimis seligit fæminam, quam salute donet. Ecce MARIA HESSELIA, GERBRANDI filia, Amsterodamo, nobilissimo Bataviæ emporio, in Brabantiam venit, tantum corpore aquæ claudens, ut dolium putares. Toto triennio morbus crevit, to- ∞. Iↄc. IV. Mense Sept.

to

to biennio nullus eundi uſus, nulla poteſtas fuit. Tibiæ tanquam hydriæ, etiam tumore ſuo calcanea abſconderant. Aliud in dextro latere ſupra coxendicem ſymptoma. Nam, quaſi in nodum contracti nervi obriguiſſent, prominebat tuber, dolorem permoleſtum ciens. A Medico nihil opis, nihil etiam ſpei ſupererat. Ad Divam igitur Aſpricollem hydropica ſe convertit: quam & viſere ſtatuit, non itinere, non ſuo ipſius onere deterrita, cùm ſarcinæ inſtar debuerit vehi. Nec mora: tabellario ſe committit, & Antuerpiam navi venit. Hîc comites nacta, eodem die Mechliniam navi appulit: curru deinde in Collem profecta. Quid fit? aliquid adhuc diei ſupererat, id conſcientiæ mundandæ impendit, animum præparans, ut poſtero die ſacrâ Communione Deum ſibi, & ſe Deo jungeret. Eâ autem nocte nunciatum eſt, alas aliquot hoſtium, ſuperato prope Sichemium Demerâ fluvio, adventare; imò jam in propinquo eſſe, & imminere. Hæc ea manus fuit, impia manus, quæ profanare ſanctiſſimum Col-

Collem ferro & flammâ ausa est: quæ cùm imaginem Divæ non invenisset, in Divam ipsam horrendis dictis sæviit. Sævite, si omnino scelesti esse statuistis; ostendet Deus Matrem suam esse, in quam sævitis. Incendio quoque absumite surgentis oppidi auspicia; his flammis clarior lucebit Divæ gloria, hic ignis Miracula illustrabit. Vt ad rem veniam: cùm in ipso concubio omnia subito metu ac motu trepidarent, & latebras alius, alius fugam capesseret; hydropica nostra unà cum comitibus in currum se recepit, & Lovanium petiit. An interruptam voti pietatem putes? Sensit Miraculum, cùm periculum fugeret. Nam in primâ statim viâ lateris tuber resedit, & jam ferri doloris reliquiæ poterant. Pergit verò, & Lovanio Antuerpiam properat, in Collem mox reditura. Redit, comitesque rursus non itineris tantùm, sed pietatis habet; & quid nisi salutis testes? E curru autem ad sacellum rectà se confert (tempus antemeridianum erat) sacrâ Confessione mentem expiat, Communione munit: etiam à me-

ridie laudibus Virginis intereſt. Hinc noctis & hoſpitii cauſsâ Dieſthemium petens, fumante adhuc à recenti incendio Colle, iter non longum pedibus fecit,niſi quòd gemino & ſubalari ligno fulciretur. Poſtero die ad Collem, & nova pietatis officia rediit: cumque aram accederet, Euchariſtiæ myſterium perceptura, inſolitum (res mira!) deprehendit robur, & relicto fulcrorum ſubſidio,progreſſa eſt. Precibus finitis, pari vigore ad limen ſacelli, & ad currum pergit, injectâ tantùm comiti manu; ut magis duci, quàm ſublevari videretur. Tertio die amplius etiam potuit. nam cùm Mechliniæ eſſet, è diverſorio in templum S. Rumoldi ſine inniſu aut ope ullâ ivit, pondus ſuum jam faciliùs ferens. Vix Antuerpiam, & ad quietem venit, & creſcere Miraculi benignitas cœpit. Crura, & uniuerſa corporis ſarcina pauciſſimis admodum diebus detumuit: quodque magis ſtupeas, omnis illa non effluxit aqua, & deſiit. Simul Scorbuti malum,hydropis hactenus velut corollarium, fugit. Tanto beneficio Divæ non
victa

victa pietas, sed stimulata fuit. Quæ sanitatem recepit, sine pondere ac impedimento in Collem revolavit, gratam se ostendit; sed in morbi memoriam fulcimenta Divæ obtulit.

MIRACVLVM V.

Crucians inflammatio subitò extincta.

HÆc quidem fugiendo ad salutem venit; sed in Collem tamen ivit. fuit mox alia, quæ ne ivit quidem, & sanata est: nisi amplius putes, mente quàm corpore proficisci. Alia, & eadem, si nomen spectas; quippe MARIA, patre CLAVDIO REVIO, matre MARGARETA MONTERIA, Bapalmæ nata. Hæc Audomaropolim missa, & curæ virginum Clarissarum commissa, in hunc ipsum cœtum adoptanda educabatur. Dum sedulò igitur & piè dignam se tam religioso tirocinio præstat, inflari manum dexteram & inflammari sensit; sive è contortione digiti, sive è defluxu pravi humoris. Sed ignis fuit ille humor: dolor cer-

∞ Ix. IV. Mense Sept.

tè tam vehemens, ut tanquam ab igni esset. Recenti adhuc malo leniendo oleum rosarum à Disciplinæ Magistrâ adhibitum. Sed hoc profectò erat, *ἐλαίῳ πῦρ σβεννύειν. Crevit inflammatio, ac deinde emplastris vexata, Chirurgi quoque industriam elusit; qui manum ab hac manu subduxit. Medicus autem, licet remedia nescio quæ præscriberet, judicavit tamen remediis locum non esse. Septimanæ jam plures sic tractæ, & in summo dolore puella versari: animi quoque, cùm præscindi sibi vota, & occludi cœtum cerneret, ob defectum manûs. Animata tamen à Magistrâ, cæleste imploravit auxilium, & toto ad Virginem, imò ad Collem animo ivit. Erat in cœnobii templo imago, quæ illam Divæ nostræ referebat, imaginis, inquam, imago: ante hanc prostrata, tres continuò horas fundit preces, & pietate ardet. Sub vesperam graviùs correpta, cùm somnum frustra quæreret, ipso tandem dolore sopita est. O felicem, quæ sic infelix fuit! Etenim summo manè evigilans, deprehendit sine dolore, sine tumore,

* Oleo ignem restinguere.

more, ſine malo manum eſſe; imò ſine faſciis & vinculis, quæ deciderant. Pertentat, movet, complicat. Quid etiam? tanquam ſibi adhuc non crederet, ſocias; & illæ Magiſtram advocant. Stupent omnes præſens Miraculum, & divulgant. Rei novitate Chirurgus atque Medicus permoti, adveniunt, manum curioſè luſtrant, integramque atteſtantur. Et quid opus hoc examine? hoc judicio? puellæ credendum erat: non ſe dixit, ſed oſtendit ſanam eſſe: fecit deinceps, quæ ſanæ ſolent; farinam ſubegit, aquam hauſit, lintea elavit. Prorsùs, ut teſtaretur non ſuam, ſed Divæ hanc manum eſſe, cœnobio impendit; digna vel ideò, quæ centimana, ut ſic dicam, eſſet.

Manum puellæ Diva quando reddidit,
Vitam benigna reddidit.
Tranquilla pacis, ſæva belli munia
Regina ſuſtinet Manus:
Quæ corporis totius ipſa munus eſt,
Et virium compendium.
Mentis ſupellex, ingeniíq; teſſera,
Et mollium dos ſenſuum.

Loquela muta, & officina gestuum,
Suis beata Gratiis.
Mensura rerum, proma-conda, regula,
Fides, tabella, dignitas.
Numerisq́, litterisq́, mille & artibus
Instructa, mundum continet.
Quid amplius? mortalium molimina
Sunt omnia à Manu, omnia.
Sic ergò Diva quæ suam debet Manum
Puella, debet omnia.

MIRACVLVM VI.

Affectio & afflictio manûs pariter sublata.

∞. Iↄc. IV. Mense Decem.

A Manu dexterâ virginis Religiosæ ad lævam ancillæ Diva Miraculi potentiam transtulit: quidni & ego sermonem? VINCENTIA HENRICA Montibus Hannoniæ, in ædibus PHILIPPI BEHAVLTII alutarii, solita erat vacuam à ministerio domestico manum ad officinæ labores transferre. Die quodam pellibus è scrobe extrahendis lassa, dolere sub vesperam è brachio sinistro cœpit: & ecce in ex

tre

tremo carpo, tanquam in radice pollicis tumor ſurrexit, nervo inſidens. Hîc ſe collegit cruciatus, ſedemque fixit, velut è vallo & munimento vicinis membris, idque toto biennio, infeſtus. Ergò & Chirurgi adhibiti, qui inutili operâ plures quidem menſes. conſumpſerunt. Quid? de uſtione actum, ut indomitum ſcilicet malum extremo & violento remedio tentaretur. Sed puella ignem exhorreſcens, cùm ſanitas aut à vitæ periculo, aut à membri mutilatione dependeret, tempori ſe maluit atque naturæ arbitrio committere. Erro: numini ſe commiſit, ſpem in Divâ collocavit. Etenim Miraculis admonita, quæ longè latéque Collem illuſtrârant, votum concepit, ire promiſit, donum, & magis animum oblatura. Quàm pio hæc affectu omnia, effectus oſtendit: audita eſt, priuſquam iret; damnata voti, ut libentiùs & ſine impedimento iret. Quid dicam? tractum videtur malum, ut ſubito, & non exſpectato Miraculo tolleretur. Eam quidem noctem, quæ votum inſecuta eſt, plenâ quiete ægra
tranſ-

transſmiſit, & cum ſomno, imò in ſomno totum vitium reliquit. Dubitare profectò poterat, an unquam laboraſſet: nullus tumor, nullum vulnus, nulla cicatrix remanſerat. Mirari parum eſt: Herus, cum familiâ uniuersâ, & ipſi Chirurgi vim divinæ opis agnoſcunt. Agnoſcit ipſa, in Collem paullopòſt abit, & quam alij petitum ſalutem eunt, celebrat. Sic igitur nec ſine novo debuit Miraculo redire. Ecce in viâ, manum & locum tumore nuper affectum, contemplans, modicâ & ſanguineâ animadvertit cruce inſignitum. Sed colore paullatim expalleſcente, omnis illa ſacri & inſolentis ſigni ſcriptura paucis diebus evanuit. An dubites? Plenæ & ſolidæ hæc ſanitatis à Deo & Diva teſſera erat: ad ſolitum miniſterium ancilla rediit, & alutariæ officinæ laboribus renovato vigore par fuit.

MIRA-

MIRACVLVM VII.

Gravis veneficio morbus perſanatus.

ANNI jam novi auſpicium (quod in laudem Divæ dico) memorabili exemplo nobilitatum eſt. BLASIVS MAVLEANVS, in Curiâ Lotharingiæ Cauſſidicus, ſeorſim alibi juris publici vindex & arbiter, ut gravi & omnino præter naturam morbo affectus eſt; ita grandi Miraculo & prorſus divino vindicatur. Sub veſperam è tablino per cavædium procedens, repperit in ipſo atrii prothyro anum, bubulci cujuſdam conjugem, quæ bis terve in oculos tranſeuntis ſtrictam rigido obtutu aciem defixit. Ille tanquam faſcinum hauſiſſet, certè virulentâ aurâ adflatus, languere poſtridie cœpit, & acri dolore ſtomachi nauſeaque divexari. Cibos igitur, vix in ventriculum admiſſos, rejicere quà venerant, uberiuſque quàm venerant, tertio, imò quarto interdum vomitu. Sordes illæ, aliæ alio tempore, atræ, albæ, flavæ, rubræ; ipſo

∞ Ix. v. Menſe Ianuar.

D colo-

colore insolitæ malignitatis testes: imò ipso tempore. Nam vices suas servabat morbus. primùm quidem octonis aliquando diebus sæviens, parique rursus intervallo, quasi interjectis induciis, quiescens; deinceps hebdomadibus ferè ternis; demum spatio menstruo. Interim ab ipsis plantis surgens dolor, & distinctas quasi stationes subiens, ad poplites, inde ad coxas, & per spinam dorsi ad cervicem usque emergebat. Manus verò & brachia, pedes & crura vigore suo exuta, nisi cum corpore toto movebantur. Sic quidem se morbus habuit: an & remedia dico? variè tentata, sed tanquam à malo quodam Genio elusa sunt; qui vim fortassis suam ac potentiam ostentare voluit. Anus siquidem venefica, quasi miserata, sed reverà sui solicita, ne ad supplicium raperetur, placentam larido mixtam ægro obtulit; ex eâ si ederet, solatium fore. Sed profectò prætulit ille morbum hujusmodi solatio; & ægrotare maluit, quàm impietati salutem debere: à malo Genio esse, quicquid à ministrâ ejus porrige-

rigeretur. Ergò ut ad Deum iret, ad Dei Myſtas convertit animum: ad viros inquam, Religioſos, & Ambroſiano nomine celebres, qui ex Italiâ Nanceium, & ad Cardinalem Lotharingiæ, expiandi faſcini cauſsâ venerant. Eodem æger ſe deferri curat, morbi miſeriam explicat, ſuo, & non ſuo ore ſalutem à Deo petit. Quid fit? brachio ejus ſiniſtro crux argentea imponitur, & ecce vigor ſimul datur: imponitur dextero, pariterque datur. Dolor autem omnis, quaſi vim crucis fugiens, in pectoris viſcerumque penetralia (ô mirum!) ſe recepit: an lateret tamen? turgeſcere ſubitò venter ac tendi, tympani inſtar: cumque huc pariter tranſlata crux eſſet, pronunciante ſacras preces Myſtâ, tumor omnis erupit è gutture, velut vi expulſus, haud aliter quàm è folle ventus emitti ſolet. Sacrum quidem hoc amuletum toto quaſi biennio ſic uſurpatum, mitigare ſubinde dolorem potuit, tollere ægritudinem non potuit. Et quid aliud actum eſt, niſi ut magis intelligeret

miſeriam ſuam, qui nullam jam ſalutem exſpectabat? Lecto affixus, & in tabem deficiens, quæſivit ſolatia, cùm remedia non ſupereſſent. Allatus igitur aliquando à Genero ejus liber, qui Miracula Divæ enarrabat, & lectus eſt. Quid æger? non uno ſe exemplo erexit, ſpem quoque ſalutis concepit; ſiquem voti cauſsâ in Aſperum Collem mitteret, propitium numen fore. Mittit verò amicitiæ gradu proximum ſibi & agnatum, CHRISTOPHORUM GOMBERVAUXIUM. Is, quàm promptè ivit, tam feliciter rediit. Omni affectu pius, fecit omnia, tanquam ſuum, non alienum morbum depelleret. Non dici modò Sacrum, ſed cani ſolenniter juſſit; partem ſe fecit, ſacram hoſtiam expiatus ſumpſit. Rebus ſic quidem ritè peractis, emenſum repetit iter, dubius interdum, vivo an mortuo hanc pietatis operam daret. Sed profectò vivo dabat. Operam? imò verò ſalutem. Ipſe? imò Virgo. Nam eo omnino tempore, quo urbis mœnia redux voti legatus ingrederetur; ſuavi quadam aurâ afflari ſibi æger viſus

ſus eſt, quæ membra univerſa imbueret & vegetaret. Quaſi non cognatum modò, ſed Divam ipſam à Colle venientem recepiſſet, meliùs habere cœpit, eſſe & bibere, imò ad viſcerationem, ſive carnis uſum, decem jam menſes intermiſſum, redire. Dolor quoque omnis deſiit; & eouſque creverunt vires, ut iter ipſe paullopòſt in Collem ſuſciperet, pedes, & alacer iret. Suum hoc eſſe negotium novo beneficio Diva oſtendit: rigorem manûs alterius, qui adhæſerat, ſuſtulit; plenam, & qualis in meliori ætate non fuerat, ſanitatem dedit.

MIRACVLVM VIII.

Hernia utriuſque lateris ſublata.

IN exteros ſic quidem Diva benigna eſt: ∞.Ix. ſed interim nec favore numinis Belgæ, V. Menſe Collis velut incolæ, deſtituti. Liræ, vicino Ianuar. Antuerpiæ oppido, ISABELLA DALCVLOTIA habitabat: ei filius quadrimus, & herniοſus. Vitium dolore detectum eſt, cùm dies inquietos, & ſimul noctes puer ha-

beret: examinatum quoque à Chirurgo, qui miseram gravemque ramicis utriusque rupturam deprehendit, & viscera prominere. Non ausus autem in discrimen artem alioquin felicem mittere, manum abstinuit. At mater dolore dejecta, pietate animosa, ad magnam Matrem vota dirigit, & fiduciam sumit. Mystico numero per novem dies votum ordinans, Aediculam D. GOMMARI in quâ è sacrâ quercu Divæ imago, quotidie adit, donum & preces matutinas offert: & vultis Miraculum? filium qualem optabat, impetrat. bis jam mater, quia quem genuerat, pietate servat: ut semel dedisse vitam, deinde sanitatem tanquam vitam videretur, sed à Divâ acceptam. Sanè in puero totum reducto viscere vitium, & vitii vestigium simul deletum est. Quis tunc matri affectus? quod gaudium? Filium habere cœpit: sensit filius, se tum demum natum esse.

MIRA-

MIRACVLVM IX.

Pueri duo in gravi caſu ſervati.

VITA hæc omnis noſtra nónne malorum aut periculorum ſcena eſt? Nec calculo opus: annos & ætatem cujuſque infortunia computabunt. Alius alio majora ſuſtinet, nemo non infelix eſt, ſæpiuſque neſcit quid patiatur. Sed quæ rurſus cura, quis affectus Dei, imò Divæ, mala benigniſſimè averruncantis! Exemplum refero, ut Miraculum videas; & ab urbe hac derivo noſtrâ, quod reliquus Orbis legat. In cœtum & convivium Genialis anni dies pueros aliquos ejuſdem viciniæ collegerat, cœnaculum domi ſuæ, & in ſuperiori parte ædium, præbente PAVLO HOVELDIO, cive hîc inter honeſtiores. Vt autem & poſt epulum hilaritas duraret, luſus more patriæ placuit. Itaque loco faciendo menſa è medio conclavi feneſtras verſus removetur: quam duo mox è pueris ſcandunt, FRANCISCVS PRINSIVS RVLANDI F. ſepten-

F. ſeptennis, & MAXIMILIANVS HOVELDIVS PAVLI F. novennis, in plateam, ac larvalem aliquam pompam deſpecturi. Dum igitur feneſtræ proni incumbunt, & capite pectoreque prominent, inverſa eſt menſa, & ſpectantes in plateam excuſſit. Cadunt miſelli è ſtegâ ſeptendecim altâ pedes, & ſilicibus ſubſtratis impinguntur. O triſte ſpectaculum! quia humano omni auxilio deſtitutum. An & divino? nequaquam. Nonnulli ætate provecti, qui in eodem cænaculo aderant, ſive miniſtri, ſive cuſtodes puerorum, in re tam triſti & ſubitâ voces & manus ad cœlum attollere, opem auxiliumque Divæ Aſpricollis implorare. Ignotus etiam neſcio quis eo die è Colle veniens, & forte fortunà triſtiſſimo caſui ſuperveniens, affectum votumque miſcet, &, *O Diva*, inquit, *quæ potens & benigna es, fer opem: per te ſerventur, qui aliter jam ſervari non poſſunt*. Accurritur undique, ingemiſcunt omnes: ſed pueri, tanquam caſu ſopiti, ſine voce ac ſenſu jacent; ſed reverà illæſi, ſine vulnere, ſanguine, conquaſ-

quaſſatione. Mox in domum, & lectum illati, ſpectatores frequentes habent. Parentes dolore, ac rurſus gaudio pænè exanimati, item Amici, cives, ipſi Medici veniunt, infortunium, & ſimul Miraculum intuentur. Intuere tu ſimul, quiſquis es; illud ſorti, hoc Virgini adſcribe. A ſorte infortunium, à Virgine Miraculum eſt. Et caſus, quia caſus eſt, infortunium loquitur: quia nullo impedimento aut obſtaculo medio interruptus, Miraculum confirmat. Quieverunt eâ nocte pueri: poſtridie firmiores, non medicamento, ſed cibo refecti ſunt, & vix jam lectum pati. Tertio deinde die conſurgunt pariter, integra membra ad priſtinos luſus, & litterarum tirocinia referunt; jam non ſocii tantùm, aut condiſcipuli; ſed quodammodò fratres; non utero, ſed Miraculo. Tanquam favente rurſus Genio renati, novam à caſu vitam exorſi ſunt: quicquid antè fuerat, fato potuit deputari.

Quis tamen hic lapſus gravior? num fallit imago?
Lædere ſors voluit: ludere juſſa fuit.

Aut pueri lapides, aut mollia ſaxa fuère,
Et gemino caſus pondere preſsit humum.
Illiſi duræ fecerunt vúlnera terræ,
Mollibus à membris ſaucia ſaxa gemunt.
Hîc natura ſtupet: nimirum magna faventis
Vis fuit illa Dei, Virginis illa fuit.
O Deus, ô bona Virgo veni: nam caſus ubique eſt,
Atque ſuo præceps pondere quiſque ruit.
O Deus, ô bona Virgo veni: nam pondus ubique eſt,
Atque ſuo fractus vulnere quiſque perit.
Non labi, primum eſt: ſequitur, ſine vulnere labi:
Læſos reſtitui, ſumma ſalutis erit.

MIRACVLVM X.

Palati fiſtula conſolidata.

∞.Iↄc.v. Menſe Febr.

A pueris ad militem nos ordo ipſe ducit, Diva ducit, ad IOANNEM BEAVLIERIVM; qui in præſidio Lirano grave oris, pectoris, & lateris vitium inſigni Miraculo exuit. Palatum inflammatione tumi-

tumidum, & vomicâ putre, novum consumptâ carne meatum ad nares usque aperuerat, quo medius quasi pollex reciperetur Hoc igitur spiritûs quasi divortio vox impedita, confusum duntaxat sonum edere;& qui linguæ verborumque potens erat, nihil à muto differre. Si loqui vellet, convolutis panniculis lacunam implebat. Potus quoque, ut gutturis viam sequeretur, eodem obstaculo retineri debuit, per nares alioquin digrediens. Accessit lumbago vehemens, & à pectoris dolore spirandi difficultas: virium quoque defectio, ducensque ad extrema languor. Quam verò salutem sibi promitteret, à Medicis, & naturâ ipsâ abdicatus? Vt morti igitur, quæ non lento jam accedebat gradu, obviam quasi iret, mentem summâ pietate componens capacem Dei fecit. Alia hæc militia, alia pugna erat: Deum ducem, & mortuum olim, semperque vivum, moriendo sequi. Adsunt tamen amici, vitæ & sanitatis admonent: *Dei Matrem, Dei velut manum esse, opem ab hac peteret, imò bonâ fidu-*

ciâ exſpectaret. Eſſe in Aſpero Colle Imaginem, velut benignitatis teſſeram; hanc animo accederet: eſſe in ipſo oppido Lirano, ſacellum, & ſignum è ſacrâ Quercu Divæ dedicatum; huc iret. Quid fit? audit æger conſilium, quia pium; & ſequitur, quaſi divinitus datum. Novem omnino dies viſendæ Divæ ex voto ſpondet. Dictum, factum. Fit animi, mox & corporis firmior: D. GOMMARI ædiculam, & imaginem Virginis viſit. Primo ſtatim die dolor è palatò migrare in ſuperiorem capitis partem cœpit, quaſi verticem ſubiens; eo quidem impetu, ut cerebrum calvamque videretur perforare. Imminuitur deinceps malum, & quotidie novo incremento vigor ſurgit. De Miraculi fide quis dubitet? Expleto novendiali voto, miſer ille, ſed jam non miſer, perſanatus eſt: integro ore, pectore, latere vires prioris etiam ætatis vicit.

MIRA-

MIRACVLVM XI.

Herniæ pondus dependens ſubitò reductum ſanatumq́.

DE egeſtate ſuâ fruſtra queruntur mortales: pietatem, non fortunam Diva reſpicit; & rejectis nummis, preces æſtimat, cùm puro pectore, velut ſacro gazophylacio depromuntur. Mulier ecce pannoſa, MARIA HENNINIA, è provinciâ Lucemburgenſi, luculento Miraculi favore nobilitata eſt, cùm ſub miſerando morbi onere diutius ſuſpiraret. Vitam hîc Lovanii cum marito BERNARDO HAVIO duriter tolerabat, jumenti propemodum operam locans. Contigit, ut è foſsâ mœnium reſectos ſpinarum caudices dorſo exportaret, ſub faſce etiam uterum ferens; & ecce fallente gradu, retrorſum ſupinata cecidit, internaque læſione viſcera afflixit. Vtrumque mox tumore inguen ſurrexit ovi craſſitie. Vim ac deformitatem mali paucis pòſt ſeptimanis detexit graviores puerperii diſcri-

∞. Iↄc. V. Menſe Martio.

crimen. Partum quoque globus carneus ſecutus eſt, duos quaſi pugnos æquans, nerviſque duobus ab utero dependens; quem fruſtra obſtetrices recondere niſæ ſunt. Adeò quoq; turgeſcere hoc interdum ſolebat pondus, ut capiti humano par eſſet. Sic quidem enixa erat malum ſuum mulier, & tamen prægnans; teſtudo, non mulier, cùm greſſum onus impediret. Sed maritus uxoris ita affectæ pertæſus, in militiam abiit: illa Antuerpiam, majori in urbe victum colu & fuſo quæſitura. Cùm & hîc miſera eſſet, ab hoſpite tandem ſuo monita eſt, de valetudine potiùs, quàm vitâ cogitaret; ſacro in Collem Aſperum itinere propitiam ſibi Divam redderet. Quid illa? animum voto erexit, profecta eſt. Longum & durum ægrotæ in parvâ viâ iter fuit; niſi quòd curru aliquantiſper mitigatum. Venit tandem quò anhelabat, novem dierum ſpatio Divam veneratura. Ipſo verò tam pio operis auſpicio, animi ſui onus in aures arbitriumque Sacerdotis depoſuit: ore & pectore Deum excepit. Tantis myſteriis læta, ſalu-

ſalutem petit; demittit in terram oculos, cùm poplites non poſſet, præpediente ingeniculationem herniæ pondere. Nonus jam dies inſtabat, quem Annunciationis ſolennitas ſequebatur, & noctu, imò in lecto intolerabili uteri dolore,& ad defectum uſque ſpiritus, cruciata eſt, ſiniſtro præſertim latere; tanquam potiſſimam corporis partem vis occulta quædam traheret tenderetque. Quid fit? Globus ille informis, qui totos quatuor annos menſeſque tres, velut corporis exul pependerat, ſponte ſe ac ſenſim in uterum recepit. Poſtero die, ſine impedimento, ſine morbo, ad ſacellum procurrens, in genua procumbit, & palàm agnoſcit ſanitatem, acceptamque Divæ refert. Ire jam ſuave erat: in vicina oppida & pagos gaudia ſua tulit. In Collem reverſa, inde Bruxellam itinere unius diei pedes venit, nihil ſanis jam concedens. Duravit autem bonâ fide robur, & non miſeram deinceps egeſtatem fecit.

MIRA-

MIRACVLVM XII.

Morbus caducus, & gravans ſanguis ſublata.

∞.Iↄc. v. Menſe Martio. NOs verò pergamus dicere: ſciri Miracula ſua & diffundi Diva amat, & hocipſum non ſine Miraculo indicavit. In urbe hac noſtrâ, & proximâ Arci plateâ ac planicie, Virginum Ciſtertienſi diſciplinâ Monaſterium eſt, à vinetis vicinis MARIÆ Vinea appellatum: verè Vinea, virginitate florida, pietate fœcunda, in exemplum Modeſtiæ Chriſtianæ feliciter creſcens. In hoc loco & cœtu, ſed miniſtrantium, quas Laïcas appellant, gradu & ordine MARIA ALSLOYA erat, & ab anno ætatis XXXIV. ad annum XLVII. epilepſiâ, ſive morbo caduco graviſſimè laboravit. Tanta vis mali & miſeria erat, ut ſævis admodum tormentis tantùm non in furorem acta, vires & manus cuſtodum fatigaret, ſpecie velut morientis poſt laſſum furorem ſolita deficere. Ne miremur: aliquid Herculis in morbo

bo hoc Herculeo fuit, duravitque tot etiam annos, quot ille labores ſubiit. Tantus in affectam affectus Virginum, tanta cura erat, ut in unâ omnes affligi viderentur: unius, ut ſic dicam, membri ærumna corpus univerſum affligebat. Vltimum refugium Collis fuit, Diva fuit, & communi conſilio, imò voto, Antiſtitæ etiam juſſu, huc itum eſt. Vno itinere an pietas laſſaretur? Sexies virgo, ſed ſine ſublevamine morbi profecta eſt, neque adhuc deſperavit. Salus tandem (mirum dictu!) abeuntem ſecuta eſt, & jam Monaſterio redditam prorſus beavit. Sociæ omnes, quàm lætæ, tam modeſtæ ac ſimplices, Miraculi famam, dum ambitioſæ videri nolunt, religioſo ſilentio cuſtodiunt. Verumenimverò hujus erroris divinitus velut monitæ, agnovêre vim numinis, poſt ſimpliciſſimum delictum novo etiam beneficio dignæ. Morbum illum ſacrum Virgo ſacra exuerat, & paullatim tantâ ſanguinis copiâ impleri ac gravari cœpit, ut mergi in corpore ſpiritus & ſuffocari videretur. Itaque è præſcripto Medici bis tér-

ve quotseptimanis incîdi vena cœpit, & sanguis educi. Et quis non admiretur tam insolens malum? A parcissimo cibo potuque tantum nutrimenti esse? in subacto inediâ corpore plenas sanguine venas tumêre? Tumebat & lingua; quæ, ut silentii pœnam intelligeres, flecti in verba haud poterat. Cruore educto, rursus poterat: atq; hoc signo manum Chirurgo subducente, periclitari desinebat ægra, si loqui inciperet. Antistita autem in caussam mali intenta, quod res erat, suspicari cœpit: in silentii pœnam subrogatum, morbo morbum esse, depulsi Miraculo magis agnito, quàm celebrato. Litteras igitur in Collem Asperum mittit, Sacrorum ibi Præfectum rei totius seriem edocet. O Deus! ô Diva! Alterum etiam morbum novo bis ægra Miraculo exuit; ut sic quidem bis jam sanata, bis obstricta Divæ maneret: felix salute, quæ morbum insecuta est; felicior morbo, qui salutem iteratò meruit. Punivit post Beneficium silentii simplicitatem Diva, & Benigna tamen fuit. Ostendit nihil sibi gra-

tius

tius esse, quàm ut quæ patrat agnoscantur: agnosci autem, si in ore omnium & calamo sint. Vultis summam? Sciri amat, ut sæpius prosit: & prodest, ut amplius possit sciri.

Florens Vinea, Virgineśq́ vites,
Magnam quæ colitis Dei Parentem,
Inq; ipsâ colitis Deum Parente;
Vltrò pandite, Diva quos fugârit
Cælesti facilis favore morbos,
A toto facilis favore cœtu.
Hoc sancto Pietas modesta vultu,
Hoc & Relligio jubet: cavete:
Nam quot θαύματα, clanculùm patrata,
Arctis clausa penatibus tenetis,
Tot præconia Virginis tenetis.
Quid verbis opus est? loquatur ipsa
Lætum pœna silentium secuta,
Ipsa hæc sanguine sanitas laborans.
Quorsum θαύματα, si perire possunt?
Possunt θαύματα, si latent, perire.
Hinc magnus Deus est, Deiq; magna
Est Mater; quòd & hæc & illa, Magna
In magno faciant, suoq́; mundo;
Nolint, quæ faciunt, latere mundum.

MIRACVLVM XIII.

Paralysis repentè curata.

∞ . Ioc. v. Mense Iunio.

NEfas profectò putem, hîc non fari. Quicquid admiratione, etiam famâ dignum est: sed qui suo ore agnovêre Divæ opem, meo nunc etiam loquantur calamo, ne unquam sileant. Loquatur CATHARINA GERARDIA, quæ in Oppido non longinquo Nivellâ subito languore correpta, in paralysim incidit, sinistro latere viva, dextero cadaver. Stare igitur vix poterat, non progredi, nisi ligno sive scipione nixa; & sic ægrè tamen. Quod reliquum, voto salutem paciscens, Divam adire statuit; imò altero suo, altero non suo pede iter ingressa, testudineo gradu tandem pervênit in Collem. Lassa corpore quo ivit, & quod tulit, gravius animi sui pondus censuit, & sacrâ Exomologesi deposuit. Putares novâ vigoris aurâ artus omnes perfusos. Mox ante imaginem ingeniculata, imò prostrata, supplex vires à Divâ petiit, & reverà impetravit.

vit. Nam extemplò, imò in templo (ô propitium numen!) coxendicis os, quod loco motum diſtortumque adverſus ventrem protendebatur, ſponte in locum ſuum reductum eſt. Manus quoque contractis nervis incurvata, ad formam & vigorem priſtinum rediit. Stupet ipſa, nullum amplius in affectis membris ſtuporem eſſe; corpus corpori reſtitutum. Ergò voti compos, & perſolutâ Divæ gratiarum actione, quæ non toto, ut ſic dicam, corpore venerat, toto domum reverſa eſt, admirante populo, quomodo ad vitam & vires ſemimortua rediiſſet.

MIRACVLVM XIV.

Crus ulceroſum reſtitutum.

SEQVITVR Miracula calamus; ipſe peregrinari videor. Sed omnis iſte circuitus ad Collem ſuum, velut centrum redit, ab ægrotis ad Divam, ab hominibus ad Deum. Fui, ubi non fui; & nunc eo, quò non eo, Bruxellam, inquam, à MARGARETA HAMONTIA ROBERTI PHALESII uxo-

∞.Iↄc. v. Menſe Iunio.

 uxo-

uxore vocatus, quæ post salutis vota etiam soteria implevit. Prægnans erat, & scalpurigine victa, crus sinistrum inter tibiam & suram infesto adeò ungue laceravit, ut sanguinem educeret. Laxata sic caro in tetrum ac depascens ulcus computruit; tanto hiatu, ut digiti capax esset, & fossam esse ductam censeres: imò ut fontem, continuo & acri liquore stillantem. Circùm pustularum papularumque velut satellitium, & eodem madentium pure. A genu ad plantam pedis crus totum tam deformiter tumefactum, ut aquâ gravari intercute videretur. Prima ab amicis & familiaribus remedia petita, sed vana: secunda à Medicis & Chirurgis, sed irrita: tertia & ultima à Divâ, sed salutifera, & postquam totos undecim annos tam maligna affectio durasset. O sacrum iter, quantum potuit! ô tarda mulier, cur citiùs non profecta es? Bene tamen, profecta est, precata est, reversa est. Quid? vix quiescere cœpit, & acerbitas mali resedit. Paucis verò pòst diebus inflammatio cessavit, & universa plaga solidata est; Medicis

in

in Miraculum, quia non credentibus, oſtenſa. Credite: ubi vis naturæ deſinit, numinis orditur. Tam fœdi gravitas ulceris, quia ſanari non potuit, nonniſi Divæ manu ſanata eſt.

MIRACVLVM XV.

Claudo veſtigium reſtitutum.

NON unum cruris vitium eſt: remedium hîc unum, ſine remedio ſanari. Mulierem produxi: quidni & virum? ulceroſum produxi: quidni & claudum? Sequor claudum, ſed euntem: ſic quoque, itinere licet prolixo, perventurus ad Collem. Nulla etiam hîc mora eſt: verbis eo, celer ſum. Verbis, quæ πτερόεντα, id eſt *alata*, à Poëta nominantur. In Comitatu Daelhemienſi, trans Moſam, NICOLAVS BRVERVS erat, frumentariam faciens, quem malignior natura mulctavit. Nervi in crure ſiniſtro velut areſcentes, ita ſenſim contracti ſunt, ut motum & greſſum impedirent: prorſus è NICOLAO CLAVDIVM fecerant.

∞. Ιx. v. Menſe Iunio.

rant. Ergò ligneam & adoptivam popliti tibiam ſuppingens, ſuamque extante ponè alveolo ſuſtentans, greſſum ſibi induſtriâ quæſivit; moleſtum illum quidem, ſed tamen greſſum. Plura enim ſuppoſititio pede confecit itinera, plura & oppida & pagos obivit, cùm quæſtûs cauſsâ, alibi coëmeret annonam, alibi divenderet. Audit de Miraculis à Divâ in Colle Aſpero patratis, & majus jam, non quæſtûs, ſed ſalutis cauſsâ iter moliens, ad ſacram imaginem adſpirabat. Omnem moleſtiam pietas vicit: ter ivit. Pietatem reſpexit Diva, & opem petenti dedit, nervos, ut breviter dicam, reddidit. Sed ille è CLAVDIO rurſus NICOLAVS, pedem in Colle reliquit adoptivum, ſuo in Patriam rediit. In viâ, & in reliquâ deinceps vitâ lætus, imò gratus fuit: & quid mirum? quoties greſſum proferret, accepti à Divâ beneficii poterat admoneri.

MIRA-

MIRACVLVM XVI.

Puella utroque pede clauda gressum recipit.

MINVS fortassis erat, altero duntaxat pede claudicare: dabo ex Hannoniâ puellam, ANNAM, LVDOVICI MVSVERII & HADRIANÆ COLPINIÆ filiam, quæ utroque. Atque hoc congenitum quasi vitium fuit, certè primis statim ætatis mensibus deprehensum. Fulcris igitur vestigii tirocinium puella exorsa est. Sic ducitur, sic ad gressum instruitur, suspensum gemino & subalari scipione corpusculum librans: si non pedibus, saltem viribus movebatur. Quid parentes? rati non humanâ, sed divinâ ope opus esse, loca pia adeunt, claudicantem unà vehunt, & tenero affectu parentes se testantur. Miraculis tandem Divæ Aspricollis spem omnem suam committunt. Ne plura dicam, huc veniunt, sacellum subeunt, & filiolâ humi collocatâ, precibus intendunt. Laudes eo tempore Divæ cani cœptæ, cùm virginem quandam ∞.Iↄc. v. Mense Iunio.

 Reli-

Religiosam à malo Genio insessam, in ædiculæ adyto, sacris obtestationibus Mysta expiaret: huc gressus proferunt, spectant, audiunt. O rem inopinatam! Puella non minùs curiosa quàm parentes, assurgere, imò sequi & ipsa nititur. Quid? assurgit, sequitur, & jam pedes atque crura in potestate suâ habet, itioni idonea. Iterum, ô rem inopinatam! liberum format gressum, & jam fert scipiones suos, quibus antea ferebatur. Appropinquans igitur, & parentes adhuc Miraculi ignaros alloquens, *Permittite*, inquit, *ut & ego communi omnium more incedam: nolo subsidia, quæ impedimenta sunt*. Et cum dicto fulcra abjecit. Illis quis sensus? quæ cogitatio? Hærent stupentque, dubii, ad filiam, an ad Divam se converterent. Ad Divam, ad Divam: durabit gaudium, si beneficium agnoscatur: pietas ostendet, quanti salutem filiæ faciant. Dixerunt Divæ grates, domum læti reversi sunt: sic habuerunt filiam, tanquam cælitus accepissent.

MIRA-

MIRACVLVM XVII.

Surdo & muto audire & loqui datum.

ETIAM à ſurdo Diva audiri Miracula ſua voluit, à muto celebrari: aucta ſunt, ut aures ſurdus acciperet, linguam mutus. Et quis ille? IOANNES CABRELIVS, Tranſmarinus, & gente Scotus. Pueritiâ nondum expletâ, ſub dio, & in agro ſomnum aliquando capiens, fulmine ictus eſt, & cætera illæſus, omnem loquendi & audiendi uſum amiſit. Surgit miſellus, ærumnâ ſuâ excitatus, & cùm omnia ſilentio conquieſcere miraretur, adhuc ſe ignorabat ſurdum eſſe: cùm loqui vellet, nec verba inveniret, vim fulminis intellexit. Intellexit quoque miſeriam ſuam, & ferre coactus eſt. Tertium his gravius etiam malum: egebat. ac facilius jam erat, ſine voce & auditu, quàm ſine cibo vivere. In Belgium igitur, imò Bruxellam venit, exteræ humanitati miſeriam ſuam commendaturus. Quia fraudis & impoſturæ expers, dignus auxilio fuit. Et quomodo falleret? in populares hîc quoq; ſuos incidit,

∞. Iↄc. v. Menſe Iulio.

qui gemino illo afflictum vitio in patriâ noverant: incidit in nobilem strenuumque Virum & Equitem, GVILIELMVM SEMPELIVM, Tribuni munere aliquando perfunctum. Ab eo stipe donatus, & in Asperum Collem salutis caussâ missus, maluit naturæ subsidia, quàm Divæ experiri; mutatoque consilio, Aquas Spadanas proficisci statuit. Iam urbe egressus erat, jam primum lapidem reliquerat, & ecce subitâ & gravi febri corripitur. Hoc illi secundum velut fulmen fuit, sed Divæ manu immissum. Agnovit, numini cessit, & ad urbem rediit; ubi in Nosocomium receptus, tam humaniter curari cœpit, ut commodè convalesceret. Interea à Custodibus ægrotorum signo, gestu, nutu monetur, in Asperum Collem se conferret, vocem & auditum à benignissimâ Divâ peteret: aures & linguam pietate emi. Ille verò, quod non audit, intelligit: quippe morbo monitus erat: & jam ad Montem mavult, quàm Aquas proficisci; numini, quàm medicamini se committere. Vbi primùm vires primæ

mæ redierunt, itineri ſe dat, in Collem & in ſacellum venit; mente vota promit, & qui non loquebatur, à Divâ auditus eſt. Quid? loqui cœpit, ut ab omnibus audiri poſſet; audire omnes, ne fruſtra loqueretur. Magnum & geminum hoc beneficium fuit, poſt totos tredecim annos audire & loqui. Gratum ſe exhibuit, laudes dixit, & hoc ſermonis auſpicio ad ſermonis uſum rediit, confeſſus majorem fulmine Divam eſſe.

Fulmine tactus,
Miſer, ille miſer,
Dulcia carpens
Munera ſomni,
Deſiit ore
Fundere voces:
Fulmine tactus,
Clauſit patulas
Vocibus aures.
Sed tu Virgo,
Sed tu Mater,
Fulmine major,
Auribus uſum,
Vocibus aures
Reſtituiſti.
Adſis Virgo,
Adſis Mater;
Nos dormimus,
Fulmine tangimur,
Sed vitiorum,
Dum ſaturati
Melle jacemus,
Sed vitiorum.
Nos ſumus omnes
Fulmine ſurdi,
Fulmine muti.
Ad te juſſi
Ire, moramur:

A te jussi
Numen adire,
Vsque moramur.
Lævum sequimur
Tramite callem.
Mollis sequimur
Otia vitæ,
Et spoliatam
Robore mentem
Præcipitamus.
Tu meliora,
Virgo Mater,
Mater Virgo,
Suggere vota.
Duc in Collem,
Hìc tibi cultum,
Et Miràclis
Nobilitatum.
Duc ô Mater,
Duc ô Virgo,
Duc in Collem:
Atque labore
Præpetis ævi
Exantlato,
Da cælestem
Scandere Collem.

MIRACVLVM XVIII.

Extremus membrorum languor excussus.

∞.Iↄc. v. Mense Sept.

ALII multa, alii magna malunt: sed me porrò pietatis rapit impetus, ut admirer omnia; monet copia, ut narrem selecta. Amplius est, omittere quædam, cùm & numerus pro magnitudine est; quàm dicere omnia, cùm præ numero magnitudo spectatur. Vetushedinum Artesiæ Oppidum est, & in eo monasterium virginum Clarissarum,

rum, quæ Reformatam vitæ regulam ſequuntur, inde dictæ. Augebat hunc cœtum PHILIPPINA PLANTEROSA, verè roſa, morbis velut ſpinis ſepta. Febris prima fuit, ſed lenta, & toto biennio producta. Hanc ſecuta ſunt alia aliaque mala: dolor verò tam vehemens interdum, ut vis reſpirandi deficeret. Atque ille in brachium aliquando dexterum ſe recipiebat, tumore ſurgens, ſudore erumpens, motum & vigorem velut extinguens: à brachio deinde ad cordis arcem redibat. Tam gravibus afflicta malis, ſenſit tandem neſcio quem rigorem, ac viſa ſibi tanquam frigidâ toto corpore perfundi. Itaque animi deficiens, longiorem, & verè ſonticum morbum orſa eſt, cui remedia omnia ceſſerunt. In lecto ſic quidem, aut in ſede omnis vita erat; ſi tamen vita. In ſede, quam binæ Religioſæ huc illuc transferebant. Vmbram, non fæminam putares; onus, non corpus. Satíſne dixi? Crura & femora tanquam ſine nervis, ſine oſſibus, ſpargebant in reliquum corpus quicquid paterentur. Præcordia dolori inprimis obnoxia,

& in-

& interno quodam quasi igni accensa, sæpè non sinebant intra clamorem patientiam cruciatûs esse. Sed nec forma servare dignitatem potuit: nam, visceribus occupatis, guttur, ipsumq; adeò caput tumorem capiebat, facie quasi pereunte. Si rectè morbum examinas, plus interdum mortis quàm morbi erat. Sancto affectu motus Vir Religiosus quidam, & diram Virginis sortem miseratus, ire in Collem Asperum statuit, & afflictæ nomine supplex Divæ fieri. Consiliis quoque humanis quis neget numen intervenire? Defecerant, aut etiam desperârant Medici, & novus à Deo Medicus submissus est: manum subtraxerant, & ab aliâ manu salus venit. Iter ille suum ingressurus, quid in animo haberet, Virgini nunciavit: simul hortatus, bonâ fiduciâ spem salutis conciperet, puraque mente propitium sibi numen conaretur reddere. Tam inopinato pietatis officio an misellam recreârit, quid attinet dicere? Ivit quò destinaverat, rediit, &, ne sine tesserâ veniret, parvam è sacrâ Quercu crucem attulit, quæ decumbenti trade-

traderetur. Antiſtita autem in medelam utendum ligno rata, aquæ puræ imponit: eâ, tanquam ſacri aliquid hauſiſſet, ablui crura & pedes Virginis jubet, idque bis eodem die. Poſtridie ſummo manè, ægrotorum præfecta, lectum accedens, & quod ſolet, decumbentem viſens, *Ad templum ſe ire* ait, *ecquid vellet?* Et illa, *Volo*, inquit, *ſed quod tuipſa factura es, cum bono Deo ad templum ſimul ire. Ne verba putes, manum adjutricem peto, ut aſſurgam*. Hærente præfectâ, & mirante: *Aſſurgo tamen, & quia animus creſcit, vires experiar.* An mora? è grabatulo deſcendit, & proferre greſſum cœpit, licet languidum adhuc, nec non ad ſingula veſtigia fatiſcentem. Adjuta verò paululum à præfectâ, & adminiculata, ſe per gradus extulit, atque in templum, Religioſis omnibus quæ aderant obſtupeſcentibus, venit. An morbo claudam, & morti vicinam ingredi poſſe diceres? vivam potiùs, & fato actam, ad ſepulchrum ire. O lætum ſpectaculum! Vt ſanatam ſe oſtenderet, imò ut divino beneficio ſanatam, in genua pro-

cubuit, & ante imaginem Divæ preces satis prolixas fudit. Sacrum deinde, & solenni hymno laudes Deo cantatæ. Vna omnium pietas erat, uno omnes affectu Miraculum agnoverunt. Tantam vim aquæ inesse! Verè igitur,* ἄριστον μὲν ὕδωρ. Sed quis fontium alibi tam salutarem laticem misit? Aliæ aquæ lignum mutant: hoc lignum, aquam in salutem commutavit, gravissimo & diuturno septem annorum morbo sublato. Quid amplius? membra virgo recuperavit; & eodem medicamine vires quæsitæ sunt. Abluit rursus membra, & morbi omnes reliquæ fugerunt.

* *Optima quidem aqua.* Pindarus.

MIRACVLVM XIX.

Suffocans catarrhus remotus.

∞.Iɔc. v. Mense Decemb.

FORTVNÆ mala licet homines effugiant; naturæ tamen obnoxii sunt, & naturæ morbis. Adeò etiam infelicem aliqui felicitatem habent; ut si optio detur, egere malint, quàm ægrotare; duriusq; censeant, valetudine quàm inopiâ premi. Sed profectò in omni fortunâ morbi sunt: & ut homi-

mines Diva juvet, fortunam non reſpicit. Hoc etiam meum inſtitutum eſt: non homine Miraculum, ſed Miraculo hominem æſtimo: quippe Divam ſequor. Itaque cùm pręclarum invenio nomen, nihil divitiis aut ſplendori tribuo: cùm vile & abjectum, ſuave etiam in illuvie & ſquallore morari. Vt ſcias nihil hîc divitias poſſe, morbi ubique morbi ſunt, & homines ubiq; homines ſunt: quamquam in byſſino ſtrato, & textili culcitrâ cubant, ſi ægrotant, miſeri ſunt: ſed ſi divinitus malo ſubleventur; felix non fortuna, ſed pietas fuit. Fuit in MICHAELA SIVRYA, IO. CROHAINII, viri Nobilis Nobili conjuge. Hæc montibus Hannoniæ, neſcio an aëris vitio? frigidâ & humidâ corporis intemperie laborabat. Hinc cruditas ſtomachi, vomitus, defectio virium: quibus omnibus languens mulier, & citra ætatem defloreſcens, magis ferre, quàm diſſimulare vim mali potuit. Niſi quòd non decumbebat, in poteſtate morbi erat. Morbi, ſed occulti, & collectâ malignitate paullopòſt erupturi. Id contigit, proximo ſtatim menſe. Nam die

quodam Solis, è Sacro domum reverſa, miſerum & repentinum ſui ſpectaculum præbuit. Primùm denſiſſimâ nocte oculi concidentis obducti ſunt: mox & aurium meatus impediti, nullam omnino vocem admittebant. Quæ malorum catena! cùm neminem audiret, ne proferre quidem verbum potuit. Vt nihil tandem deeſſet, intellectum & rationis lumen denſa morbi nubes obfuſcavit. Ad Medicos curſum eſt: veniunt, ſatagunt, ad examen ægritudinem vocant. Craſſam & ſuffocantem humorum auram eſſe pronunciant, quâ impeditæ cerebri veſiculæ non poterant ad inferiora membra ſpiritus tranſmittere: ſine his autem nullum ſenſum, nullumque motum eſſe. Sed profectò faciliùs definiri morbi cauſa quivit, quàm tolli, aut imminui. Toto triduo factum eſt, quicquid Ars præcepit, & nihil vis mali remiſit. Deſpondentibus igitur animum Medicis, converſa remedia ſunt; non ut jam viveret, quæ morti proxima jacebat; ſed ut piè moreretur, quæ veram non vivendo ſalutem erat auſpicatura.

Inte-

Interim Mater ægrotæ novam in Deo ſpem collocans, quod homines non potuerunt, à Divâ petiit, miſſo in Collem amico, qui voti ſolennia obiret. Pervenit ille; & ecce eadem prorſus horâ (matutina erat) ad ſe redire ſemimortua cœpit, & vigeſcere. Diva reſpexerat, & hoc ſatis, ut malum jam non eſſet. Nec mora: ſtatim à meridie loqui muta, audire ſurda, valere ægrota potuit, porrectâ quoque ad cibum manu. Quid? edit, bibit, ſanam ſe exhibuit, tanquam non è morbo, ſed ſomno emerſiſſet.

MIRACVLVM XX.

Puer veneficio propè confectus curatur.

NON ſatis à naturâ malorum erat, niſi & per veneficia morbi quærerentur. Sic in hominem homo ſævit, nullo alio lucro, quàm ut poſſit occidere. Ætas potiſſimùm petitur, & patitur, cùm innocentiſſima eſt: & hæc rurſus amuletis ſuis munitur. Si maleficium prævalet: tamen Deo & Divæ cedit. Exemplum nunc quidem Vrbs

∞. Ioc. v. Menſe Decembri.

Eburonum exhibet: puerum trimùm & gemellum exhibet, ſive carmine, ſive veneno, ſive halitu infectum peſtifero; ſed majori vi numinis ſervatum. E melioribus erat, GASPARIS RUPÆI, Iuriſconſulti, & IOANNÆ CHAPEAVILLIÆ filius, patris nomen referens. Subito correptus morbo, & paullatim creſcente, docere Medicos potuit, fruſtra in artes Theſſalicas operam etiam à peritis ſumi. Delenificâ mulieris veneficæ manu pertractatus, intimis medullis hauſit veneni auram, & contabeſcere mox cœpit. Primam maciem inedia duodecim dierum induxit. & quis non miretur ſpiritum eouſq; ſine alimento ductum? Hinc rurſus deſiderium cibi, ſed aggravantis ac nocentis. Nutrimentum autem omne vel alvus rapiebat, vel in ſudores, tanquam ſordes, vis malignior. Oſſa jam ſola ac pellem in corpuſculo exhauſto morbus reliquerat, & illa quidem exſtantia alibi ac nuda. Orbi jam altero filiorum parentes erant, niſi ad magnam Parentem affectus, humano ſolatio deſtitutus, decurriſſet. Miſſus in Collem Sacerdos, è domo

τελε-

*τελετάρχου: qui postridie Infanticidii Mysticam hostiam obtulit. Eodem die, imò eâdem horâ, puer, qui totos duos menses jacuerat, jam quasi *σκελετὸς, in pedes surrexit, stetitque; blandiores etiam oculos circumferens. Sic quotidie firmior, imò verò cunas, ægritudinis suæ sedem aversatus, videbatur simul cum morbo pueritiam velle exuere. Plenum tamen gaudium parentum suspendit tumor quasi gibberûs, geminusque in pectore sanescentis, atque etiam dorso relictus. Filium recuperasse suave & inexspectatum erat: sed deformem, triste & amarum. Quid tamen est? Rerum omnium gradus sunt: & quædam beneficia distingui debent, ut magis appareant. Puer non multis pòst diebus, summo manè, & è somno evigilans, deferri in cubiculum parentum voluit. Illatus est, & iisdem illis cunis, quibus adhuc tenebatur. Tum caput pectusq; sublevans, lætus & velut gratulabundus patrem compellat, &, *Hac nocte*, inquit, *Matrem meam vidi, imò audivi, illam Aspricollem, & mirè mirè formosam.* Sæpiusque

* Vicarius Leodiensis Chapeavillius intelligitur.

*Cadaver arefactum.

eadem

eadem hæc verba repetiit. Iussus deinde dicere, Qualem vidisset, quid audîsset: *Candidam*, inquit, *magnam*, *augustam*. Accessisse etiam propiùs, & admotâ pectori manu, blanditias his quoque verbis prosecutam: GASPAR *fili mi, non ampliùs ægrotabis*. Auscultant puerum parentes, omnisque familia, & ad stuporem deducti, deprehendunt è loquentis adhuc pectore dorsoq; omnem tumoris deformitatem fugisse. Nihil jam votis deerat, aut plenam poterat voluptatem remorari. Prorsus, quod Diva promiserat, ægrotare desiit.

O puer, ô vivum pueri parvumq; cadaver,
O puer, ô fugiens exhausti corporis umbra,
Quæ te Saga necet miserum, si verba supersunt,
Et quo suspires imbutus viscera succo,
Eloquere: aut potiùs morbum tuus ipse loquatur
Morbus, te major. Loquitur, dum membra quietis,
Nec jam membra, jacent cunis, fletuq; rigantur
Afflictæ nimiùm matris, nullumq; ferentis

Auxi-

Auxilium gemitu. Risu fert altera Mater,
Illa Dei atq; hominum Mater, quæ noxia pellit,
Et quicquid Geniusq; malus, Lamiæq; Strigesq;
Thessalicæ peccant, obscœnæ noctis alumnæ.
Nil Erebi possunt, conspectâ luce, tenebræ:
Lucem Virgo vehit, stipatam sidere lucem.
Lux Virgo est, lucisq; parens, solatia sævis
Ponere quæ gaudet morbis, & frena dolori.
Hæc te servavit, cùm vix jam vita subesset,
Numine cùm potiùs, quàm circumfusa sopore
Divinam potuit tua mens admittere mentem.
Per somni nubem tetigit te Diva, benignum
Edens ore sonum. Tetigit, satis est: valuisti:
Ipsa jubet vegetum calcato surgere fato.
Tu nunc cresce puer, vires & viribus adde.
Cresce puer cœlo, non jam tellure beatus.
Cresce: tuumq; mihi formandum subjice pectus.
Major cùm venies nostræ pars tu quoque Suadæ
Ipse tuæ poteris caussam fontemque salutis
Pandere; formosa poteris Miracula Divæ,
Seu calamo, seu voce velis, committere famæ.

MIRACVLVM XXI.

Hernia reducta & persanata.

∞.Iↄc. v. Mense Aprili.

NON una ad infortunium via est: ferro, veneno, casu lædimur; & sæpius, qui maximè robori suo fidit, à fortunâ deceptus est. LAVRENTIVS ROTTENIVS, è præsidio Hulstano miles, animi & virium integer, iter adultâ hieme per lubricam glaciem faciens, divaricatis cruribus cecidit, sinistroque inguine ruptus est. Prominebant viscera, quo tumore, eo etiam dolore infesta. Et ille quidem caput infantis recèns nati æquabat: hic tam quietem corporis, quàm motum impediens, velut tortor erat. Quid ageret miser? se sibi unguentis vindicare conatus est; sed conatus: irrita enim remedia omnia fuêre. Ergò quia tolli vitium non potuit, hoc agi cœptum, ne cresceret. Vincula & impedimenta herniosus subiit, rupturamque fasciâ constrinxit Miserum hoc militi, captum ab hoste non esse, & ligari. Sed morbus hostis erat. Vnde liber-

bertas? unde salus? A Colle, à Divâ. Hanc ille qui ire non poterat, tamen adiit; Miracula quæ audierat, oculis usurpat; Herniosorum, inquam, fascias, in salutis acceptæ signum memoriamque suspensas. Quid facit? Vnam ex his ab æditu petit & accipit, eamque, positâ quâ cinctus erat, sibi adaptat. Si rectè examinamus tam promptam pietatis solertiam, agnovisse in aliis videtur Divæ beneficium, ut ipse impetraret. Impetravit sanè: nam cum tertiùm in Collem venisset (ut hic numerus salutis mysterium habet) cessavit omnis subitò dolor: & quid nisi monitus Miraculi miles fuit? Vitium suum lustraturus dissolvit vinculum, & vitium nullum invenit. Hem, reducta erant viscera, & bonâ fide reducta: ipse sibi, militiæque redditus, non cessavit inter arma pietatem profiteri.

MIRACVLVM XXII.

Hydrops, & occulti mali dolores sublati.

∞.Ioc.VI. Mense Aprili.

DET novos natura morbos, aut veteribus novos adjiciat; nova Miracula Diva patrabit. Sed ignorabo morbos, quamvis à naturâ veniant: venerabor Miracula, quia naturam excedunt. Quomodo ignorem, cur venerer, videre perge quisquis *εὐσεβὴς; vel incipe, qui *ἀσεβὴς. IOANNA PLATELIA, uxor ARNOLDI MEVRILLONII, in oppido Quesnoyo prope Insulas, nobile Flandriæ emporium, forte fortunà sinciput in seram impegerat. Res mira: sine vulnere, aut tumore penetravit contusio, & ingentem dolorem accendit. Læsæ miseriam non læsa sustinuit; & Medici Chirurgique, cùm plagam non invenirent, remediis tamen usi sunt. Nimirum, dolorem conati tollere, adauxerunt. Magis igitur magisque affligi cœpit, & ab omni serenitate animum abduxit. Quæ capiti ornamenta fuerant, jam onera erant: capillos autem pileolus è stra-

*Pius.
*Impius.

ſtramine textili tegebat. Aliud etiam in reliquis vitalibus ſymptoma. Ab imò ventre & pube exſurgens identidem ad cordis ſedem dolor, impetum in munimenta vitæ faciebat: hinc rurſus ad abdominis latebras deſcendere ſolitus erat, tanquam in tutum ſe reciperet. Et quid hoc mali erat? initium potiùs mali. Nam miſella, ut tandem ſciret morbum ſuum, aquâ intercute impleri ac diſtendi cœpit; quam gula ſupernè, infrà genua quibuſdam quaſi finibus ac repagulis claudebant. Annos duos, menſes quinque afflictio hæc duravit, adeò interdum vi mali premente, ut mentis memoriæque lumen turbaretur. Morbum ſic quidem, & familiam morbi utcumque expreſſi: ſed narrari Miraculum ægrota mavult. Etenim ad Divam Aſpricollem pio deſiderio converſa, voti & animi ſui interpretem miſit, ſolatiumq; experta eſt, jam præſentiens quid benignitas numinis poſſet. Mitior ſanè aliquantum valetudo erat, reſidenſque nonnihil tympanites, lenem debilemq; greſſum permiſit

hinc in ſcipionem, inde in aliquem liberorum innixæ. Sed hæ tamen induciæ adhuc quædam mali; ut reditura ad morbum intervallo aliquo reſpiraret. Nam decimo deinde menſe tam graviter rurſus affecta eſt, ut ſi dolorem ſpectes, jam demum ægrotare videretur. Itaque ſublevamine nupero quaſi monita, imò excitata, etiam repugnante morbo, proficiſci in Collem ipſa ſtatuit, & ad vota deſiderium duxit. Tanta fiducia pietatis erat, ut ſui oblita, facilè ſe putaret parem itineri fore, modò veheretur. An plura loquor? Vecta eſt, unà cum filio; ſed curru, quem LVDOVICVS MAILLYVS, Eques & Toparcha loci, ſervire ægrotæ Cortracum uſque voluit. Verumenimverò & ſuas rotæ moleſtias habent; faciliuſque in lecto, quàm in curru morbus toleratur. Illa autem licet conquaſſatione fracta, cùm è curru in hoſpitium deferri debuerit, Cortraco Gandavum alio jam vehiculo properat, vigore pænè omni in viâ relicto. Hoc etiam ſuperato itinere, verùm longè infirmior, in Cæſaris urbe duriores ipſâ

ipsâ viâ aurigas habuit, à quibus currus jam non potuit, ac ne humanitas quidem impetrari. Sorti igitur ſuæ miſera ingemiſcens, animum dolore plenum ad Deum & Divam miſit, conſilium & auxilium petiit: ſiquid triſtius immineret, in Colle potiùs, quàm in itinere moreretur. His cogitationibus diutius occupata, ſomnum cepit; ſed brevem, ſed felicem, & à Deo ſomnum. Nam circa meridiem noctis experrecta (ô rem magnam!) & verè ſibi reddita, ſine dolore, ſine ægritudine fuit. Somnium videri poterat, quicquid paſſa erat: quippe cum ſomno morbus evanuerat Statim igitur filium, in eodem loco cubantem, compellans, & vigilare jubens, fortunæ lætitiæque ſuæ participem facit. Quorſum verba, quando res loquitur? E lecto ſurgit, in pedes deſilit, & valere ſe oſtendit. Vt verò beneficium tam luculentum agnoſceret, reliquam noctem pietate tranſegit. Primo diluculo ad reliquum iter alacris ſe accingens, nullo poterat impedimento teneri. Non jam humanitate aurigarum opus erat; Deus

Deus & Diva benigni fuerant: non curru; ſuis ipſa pedibus tantum conficere viæ valuit, quantum ſani ſolent. Progreſſa igitur, & indefeſſo veſtigio, vix triduum impendit, ut in Collem perveniret. Pervenit ſanè, & Divam venerata, tanquam iterum convaluiſſet, gratiam deprompſit. Fauſto hinc pede domum remeans, ſic profecta eſt, quaſi è Colle non abiret: ſic abiit, quaſi nunquam ægrotaſſet. Greſſum vide: vix jam matrem filius ſequitur, ille vegetus, illam paulloantè exhauſtam; ille ſanus, illam paulloantè miſerrimè affectam. Satis etiam non erat, rectum iter carpere; ambages placuerunt. Pia mulier Hallas deflexit; & hîc Diva erat: alia Miraculis clara adiit loca, & ubique Deum adoravit. Domum cùm veniſſet, à Toparchâ, & Curione loci, populoq; in templum ſono æris deducta eſt, gratiaque publicè Divæ dicta; quaſi tam grande & manifeſtum Miraculum ſatis agnoſci non poſſet, niſi ab omnibus laudaretur.

Mi-

MIRACVLVM XXIII.

Virgo paralytica ſubitò curata.

VIRGINES ſæpius, ſed potiſſimùm Deo ſacratas Virgo Dei Mater reſpicit. Si recte calculum ponis, puritati & pietati propitia eſt: quâ velut bigâ evectæ hominum mentes, ad veram ſerenitatem veniunt; vel ſerenitas ad homines. Morbis quidem patent corpuſcula mortalium, & naturæ parent: ſed illos rurſus vis quædam Dei major coërcet, hanc Divæ benignior corrigit Vis Dei, & pietati favens, quæ in virgine eſt: vis Divę & puritati favens, quę in virgine Deo ſacratâ. Gaudete virgines, vobis magnus Deus eſt: gaudete Deo ſacratæ, benigna vobis Diva eſt: benigna ideo, ut magnum eſſe Deum oſtendat. Sed quomodo ille magnus ſit, quomodo hæc benigna, peculiari jam exemplo narro. Bethunia notum Belgis oppidum eſt: in Monaſterio & cœtu virginum huic vicino (MARIÆ Montem appellant, Ordinis Cartuſienſis) erat è Laïcis FLORENTIA CRISPINA,

ꝏ.Ix. VI. Menſe Iulio.

utriusque valetudinis notabile documentum. Etenim è bonâ in malam subitò incidens, compressionem quandam cordis angustiasque passa est, vitæ vigorisque quasi fontem sensit obstrui. Convulsio accessit, sive contractio nervorum, & sic affecit jam languentem, ut extra sensum nonnunquam collocaret. Totus deinde in paralysim morbus collectus est, & remediis contumacior, totos octo menses sive crevit, sive duravit. Quis vitæ usus, quando membra motu carent? Vivens velut statua virgo erat, ne quidem fulcris jam ullis aut adminiculis pedem proferre potēns. Sociæ tam diræ sortis miseritæ, quicquid industria Medicorum negaverat, voto à Divâ flagitant: ire in Collem promptæ, vices non se moventis subire. Tam pium affectum opera explevit. Eunt enim, & in mediis anni ardoribus, plus à pietate, quàm ab aurâ calent. Respexit autem benignissima Dei Mater sudores tam religiosos, preces vicarias audivit, ipsamque voluit sine morbi fæce FLORENTIAM esse. Factum est. Nam non ita multo pòst, cùm

ad

ad Sacrum (dies Dominicus erat) ægra maturiùs anhelaret, nec adhuc præſtò eſſent ſociæ quæ ferrent; à cuſtode ſuâ fulcra ſubalaria, & manum greſſui auxiliarem petiit. *Modò in templum proreperet, & pars precantium fieret, de ſalute ſe non deſperare. Quorſum etiam longiori otio ægritudo foveretur? quorſum ægritudini pietas cederet? in choro ſanctius, quàm in ſtrato Deum coli: ſed eodem gradu ad Deum & ſalutem iri.* Vix hæc effata, & à cuſtode ſociiſque adjuta, progredi tentat. Dum ſuis fulcris, & alienis manibus ſuſpenſa fertur, ſenſit ſubito robore firmari crura, & corpori jam ferendo eſſe: ſenſit novum reliquis quoque membris vigorem innaſci. Suis an dubitaret viribus niti? quia ſic repentinæ, à Deo, à Divâ erant; fallere non poterant. Crucis igitur ſigno eundi auſpicium capiens, abdicato adminiculo ducentium, & fulcris abjectis, ad templum procedit, firmo certoque veſtigio. Excipitur à reliquo virginum cœtu: quæ cùm mirarentur pariter, quomodo paralytica ambularet, humano majus negotium confeſ-

sæ sunt. nec mora: in laudes grateſque uno quaſi pietatis affectu procumbunt. Quidni? una quia graviſſimo erat morbo liberata, ad vitam omnes videbantur rediiſſe.

MIRACVLVM XXIV.

Idem in ſociâ virgine morbus, itemq; hernia ſublata.

∞.Ixc. VI. Menſe Auguſto. HÆc illa magna Dei, benigna Divæ vis eſt; nec adhuc ſatis manifeſta, niſi ampliùs etiam puritati & pietati tribuatur. Prodeat igitur & altera ex eodem cœtu, eodem morbo virgo, MAGDALENA FREMICVRTIA, ſacratiori voto adſtricta. Prodeat, inquam, quæ & ipſa nervis ſoluta eſt; liberoque greſſu oſtendat, quid ſit à numine amari. Totum biennium membrorum impotens, eandem quodammodo ærumnam ſuſtinebat: non ire, ſed ferri, aut ſcipionibus, nec non brachiis ducentium ſuſtentari. Tres ultimos menſes ut plurimùm decumbens, & in moleſtiſſimam quietem damnata, adeo elumbis & enervis jacuit, ut de

de latere in latus convolvere corpus non possent, aut commovere. Sic inter vivas vix viva, exemplo sororis FLORENTIÆ didicit, quo beneficio salus, etiam desperata staret. Itaque Divam Aspricollem intimè venerans, totam peculiari cultu septimanam occupavit. Solenni deinde die in templum lata, ut conceptum impleret pietatis votum, sacram Hostiam accepit. Quid etiam? ut diutius pia esset, interesse & concioni, quæ instabat, voluit. Interfuit, & tanquam Deum audiret, firmiore fiduciâ sperare salutem ausa est. Vix quieverat dicentis Mystæ fervor, & subito quodam, gravique pathemate virgo concussa, & velut fulgurita, in terram concidit: prorsus ut mortuæ similis, & quasi Niobes fato obriguisse in lapidem videretur. Non flecti, non moveri poterat; cùm ecce post pusillum temporis, è profundo animi deliquio ad se rediens, in pedes exsurgit. Quid dicam? sanam, integram, vegetam se exhibet, tanquam omnem in mortis illâ imagine morbum sepeliisset. Obstupente secundum hoc jam

Miraculum cœtu, progressa est, & ante imaginem Divæ ingeniculata, lætam gratiarum actionem effudit. Eadem pietas omnes trahit, & Divæ benignitas solenni hymno celebratur. Sana autem quidni jam sanæ munia obiret? ad exedra statim cum sodalibus se transtulit, locum quem ante morbum occupaverat, petiit: prorsus tanquam non ægrotasset. Sed adhuc totam felicitatem suam non intellexerat. Integro decennio herniosa, & in ipso quoque lecto vinculum passa, quo prominentia viscera coërcerentur, nunc simul tam gravi malo liberatur. Quid deerat, nisi ut geminum jam beneficium se accepisse etiam publicè testaretur? Testata est; & quia vitæ instituto ipsa ire in Collem prohibita, fulcra quæ paralysim, & fasciam quæ herniæ morbum loqueretur, Divæ liberatrici misit.

MIRACVLVM XXV.

Epilepsia vehemens sublata.

MORBVS qui sæpius virum quàm fæminam capit, in fæminâ turpior est: quem, ut alia omittam nomina, Latini Comitialem, quòd Comitia dirimeret, Græci ἐπιληψίαν, παρὰ τὸ ἐπιλαμβάνεσθαι, quòd capiantur sensus, & mens ipsa lædatur, dicunt. Sic affecta fuit, & ab anno ætatis XVI. MARIA MARCILIA, virgo honesto loco, sed quasi in miseriam nata. Vitæ florem cùm jam ingressa esset, sæpius in die cœpit non vivere: cùm formâ vigeret, quasi in spectrum transformari: cùm amari posset, terrori omnibus esse. Non possum, nisi terream ipse, omnia dicere. In eodem vultu nunc pallor & frigus, nunc rursus flamma erat, interdum quasi fumus & fuligo. Iam subitò distendi membris, & rigescere, frendere dentibus, & ex ore spumam movere, quàm fœdum! Puella autem faciliùs consurgere solita erat, quàm ad serenitatem redire. ∞. Ιx. VI. Mense Sept.

dire. Tanquam à casu furorem sumeret, huc illuc discursare titubante gradu, & magis mente; ædium impatiens, exitum sive per ostium, sive per fenestram quærere. Siquis obsisteret, in eum dentes & calces paratæ, denique furor incondito clamore armatus,. Raræ etiam morbi feriæ sic sævientis; aut feriæ, ut acriùs ille insurgeret. Parentes ut remedium tam atroci malo quærerent, & tam triste simul à se schema removerent, alieno Lari, alienæ urbi filiam crediderunt. Antuerpiæ in domo Medici, & totum quinquennium fuit: facta omnia, quæ humanitus possunt, sed frustra. Post aliquot deinde annos, in monasterium Camerense, Bruxellæ vicinum, translata, suo sumptu inter sacras virgines vixit: erro: ægrotavit. Tamen & hîc remedia tentata sunt, iterumque frustra, quamdiu humana. At Antistita loci, ægram, tanquam Religiosam habens, à numine, non ab homine solatium tanto malo quæsivit. In omnium ore beneficia Divæ Aspricollis erant: bonum factum: huc mittere epilepticam, hujus implo-

plorare opem placuit. Ivit illa, acceptâ in comitatum virgine, à quâ custodiri domi solita erat, & mox à reditu, ut paucis absolvam, minùs affligi visa est. Ivit secundò, & minùs etiam. Ivit tertiò, & quicquid plures jam annos sustinuerat, deposuit. An à stirpe malum recîsum sit? ne repullulare quidem potuit.

Si tristium stipata monstra morborum
Per otium recenseam, quot humanum
Tenent genus, diraq; lancinant pœnâ;
Non infimo stabit loco, repentinam
Atro ruinam rore quæ ciet membris
Labes rigentibus, piaculum labis;
Ἱερὴ νόσος, velut ira numinis sacri;
Comitiorum dedecus Latinorum;
Vinclùm feri, fœdumq; nomen Alcidæ:
Plus nempe monstri, quàm necavit Alcides.
Et plus mali, quàm relliquis inest monstris.
Mens læsa, mortis nube detinet corpus;
Corpusq;, mortis nube detinet mentem.
Sic oris illa turpitudo spumosa,
Frequens imago mortis, & frequens mors est.

Sed illa quàm felix puella, quæ tetrum
Favore Divæ cælico exuit morbum!
Casura fato, stare pergit; & semper
Mori parata, sæpius mori cessat;
Vitæq; votum sæpius novum pendit
Divæq; Virginiq; Sospitatrici.

MIRACVLVM XXVI.

Femur miserè affectum persanatur.

∞.Ix.VIII. Mense Iunio. E COENOBIO ad Collem iri, quid mirum? & isthîc morbi sunt: imò quid mirum? pietas est. Nunc è bello & militari contubernio educam fæminam, quæ an morbi caussâ fuerit pia, nescio: pietate meruit, ut Miraculo morbus tolleretur. SVSANNA NEYESFELTIA est, Pettingensis, è finibus Trevirorum, uxor IOANNIS SCHOVTI, militis ex iis, qui Dammæ (oppidum est Flandriæ, Slusæ proximum) in præsidio erant. Vxor, inquam, sed onus. Tam miserè enim affecta fuit, ut molestissimum otium in lectulo transigeret. Femur dexterum, à coxâ ad genu, fœdum in modum intumue-

tumuerat, colore flammeo, craſſitie deformi. Iovis ſimulacrum putares Semeles fœtu gravidum. Hoc pondere & ſymptomate dejecta, nonniſi alieno arbitrio movebatur. Quid etiam! à poplite ad plantam crus totum exaruerat, ut nil niſi tibia pulpis viduata ſupereſſet. Quid factum? Mulier, tanquam onus ferro depoſitura, illum femoris, ut ſic appellem, ventrem, Chirurgi manu aperuit. Ingens igitur copia liquidi puris effluxit, tam tetro odore, ut infectus aër circumſtantes abigeret: ac potuiſſet communis quâ utimur ſitula facilè adimpleri. Sed quantò faciliùs fuit, educere aquam, quàm fontem obſtruere! Sponte mox coaluit vulnus, tumor novo alimento crevit, irritumque fuit quicquid fecerant Chirurgi, quicquid facturi quoque eſſent. Iacuit ſic quidem toto biennio inops & exſpes, aut quadrupedis inſtar humi repſit, cùm alterum quaſi in ſolo femore corpus bajularet. Brugas deinde delata, & in noſocomium recepta, jam perpetuum videbatur decubitum ordiri. Sed in gravi ac depreſſo

corpore mens ſurrexit,ad Divam,& in Collem anhelavit. Quia pedibus tantum conficere itineris negatum erat, vehi debuit,& alieno ſumptu ac liberalitate vehi.Deus adfuit: amicos invênit, & quò anhelabat, venit. In Collem, inquam, ubi ſex omnino ſeptimanas manſit; & jam aliquantulum ſe ſublevans, fulcriſque incumbens, ad Sacellum quotidie repebat magis, quàm ibat. Ibat tamen,preces dicebat,ſed ſine alio tum quidem ſublevamine aut ope. Moram igitur longiorem neceſſitate abrumpente, nova novi itineris ſubſidia quærit, & reperit. Quid hæreo? Dieſthemium vecta eſt, Trajectum,Aquaſ-Grani,Coloniam: inde Treviros, & in oppidum patrium; ubi vitam ut potuit, & ſimul vitium corporis aliquamdiu toleravit. Inquieta rurſus, cùm novo ad Collem & Divam deſiderio traheretur, gravem ecce pedibus infirmis ponit legem, & itineris periodum, etiam ſanis longam moleſtamque, ligneis ſerpens fulcris molitur. Dixi periodum, quia neglectâ Namurcenſi viâ & breviori,quam linguæ cauſ-

sâ

sâ declinabat, teſtudineo prorſus gradu per Treviros iterum Coloniam progreſſa eſt. Sed huic urbi jam vicina, fortè conſedit paullulùm, ſpiritum vireſque, ut ſolet, capiens: & ecce, jam flecti nonnihil deprehendit femur poſſe, & extendi. Facit fiducia vires: pergit, Aquas rediit, Trajectum, Dieſthemium, ad ipſam demum Divam. In eo itinere, quod notandum eſt, totidem ſeptimanæ conſumptæ, quot antea in Colle manſerat: imò hoc erat, adhuc in Colle eſſe; tantum precata eſt, quantum ivit. Femur etiam interea detumeſcere aliquantùm cœpit; crus verò impleri ac roborari. Ergò ut in ſacrum locum aſcendit (aſcendit autem horâ tertiâ poſt meridiem) eveſtigiò Sacelli tecta ſubiit, & Divæ imaginem veneratura acceſſit. Quid fit? Dum orantis habitum etiam geſtu conatur exprimere, facile (ô rem miram!) genu habet, & pietatis imperio obſequens. Gaudii plena, fundit preces, & ſimul lacrymas; cùm ſubitò moveri interiora femoris, & quaſi contrectari ſenſit. Mox igitur

finitis precibus, lacrymiſque ſiccatis, ſubjecit ſibi fulcra, ſurrexit,ad proximum ſcamnum pergit, & conſedit, cereolis Divæ accendendis occupata. Dum id agit, animo linquens, in terram ivit. Miſerantur qui aderant, manus jacenti admovent, & ſepultum corpore ſpiritum fomentis revocant. Ad ſe reverſa, ſurgit, & recta conſiſtit, quæ tot jam annos ſtatum non uſurpaverat. Tum verò partim ſcipione, partim ducentium auxilio progreſſa, ad limen templi, & proximam limini domunculam vênit, ubi aliquid vini libavit. Nullo jam ulteriùs ſubſidio opus erat: ſola & ſoluta mali ad diverſorium ſe contulit, femur ſine arbitris inſpectura. Inſpexit; & quomodo? evanuiſſe reliquum omnem tumorem; tibiæ quoque priſtinam omnino pulpam formamque reſtitutam. Eodem beneficio & axillæ, longo fulcrorum attritu læſæ, integritatem receperunt. Hæc quis magna neget? Novem deinde dies agendis gratiis dati: quo tempore expleto, pedes Lovanium, ac poſtridie Bruxellam mulier, omni morbo liberata

berata, ivit. Et ſatis hoc, ut ſcires liberatam.

MIRACVLVM XXVII.

Cruris fœda ulcera ſublata.

FEMORI crus proximum eſt: in femore quod miraris, in crure nunc crede factum eſſe: crede fieri poſſe, quod iterum vides fieri: crede Miraculi fidem iterato Miraculo ſtabiliri. Veniat Lugduno Batavorum, & è novo Famæ domicilio, mulier, ſuaq; ſalute opem Divinam loquatur. Quænam illa autem? CORNELIA CORNELII F. uxor IACOBI DVBBELDENI; quæ ne ſemper miſera eſſet, ad imaginem Aſpricollem profecta eſt; in imagine Divam, in Divâ Deum venerata. Et quid ærumnoſius? Crus dexterum, tribus circa talum ulceribus, tam deformem tumorem projecerat; ut in muliere elephanti pedem videres. Quid etiam moleſtius? Totos quindecim annos illa pedica adhæſit: & Medici atque Chirurgi remediis ſuis omnibus laterem lavabant.

∞. Iↄc. VIII. Menſe Iunio.

vabant. Nolo reliquas mali cruces commemorare: ad Collem festino, quò, neglectis periculis omnibus, peregrina venit. Ad Miraculum propero, quod jugibus precibus ægra impetravit. Nam cùm in Sacello aliquando esset, & salutis votum verbis consuetis depromeret, premi languore inusitato cœpit, & malè habere. Sed enim rata à densiore hominum halitu caussam esse, liberum haustura aërem exit, & aream templi petit, quæ Septentrione adflatur. An exierat tamen? hîc orare pergit, hîc Sacellum habet, venerans locum ubi sacra Quercus steterat. Quia ingeniculationem crus impediebat, in latus incubuit: & ecce, repente sic affecta est, ut dubitare potuerit, an misera fuisset. O Deus, ô Diva! Vlcera coïverant, tumor desierat, dolor nullus erat. Ipsa sibi reddita ac restituta, agnoscit beneficium, ac jam laborare rursus maluisset, quàm Miraculum tacere.

Mi-

MIRACVLVM XXVIII.

Vehemens paralysis sanata.

ETIAM arma pietas decet: nec minùs pulchrè in templis, quàm castris miles agat. Pugna fortem ostendit, religio facit; ampliusque est mereri victoriam, quàm adipisci. Sed non in acie tantùm hostis; etiam domi est. Pugnare videtur, quisquis ægrotat; cùm vires morbus vincit, Medicus pro suppetiis est; cùm & Medicum, spem omnem in Deo Divaq; miles, sed pius habet: pius, ut verè miles sit; miles, ut jam pietate servetur. Servatus est, ut breviter dicam, IACOBVS BOISIVS, Avenionensis; qui cùm Arschoti (unde Duces nostri Arschotani) in præsidio esset, vires & vigorem, membris omnibus laxatis, amisit. Miles jam non erat, cui robur perierat: vix homo, cui eundi, imò & standi vis & facultas. Quamdiu traxit morbum, medicâ manu, omnibusque remediis pellere tentavit; sed succubuit. Spes reliqua, nullam ab homine

ꝏ.Iↄc. VIII. Mense Iulio.

M salu-

ſalutem ſperare, à Divâ petere. Ciſio igitur ſive carrucâ in Collem vectus eſt, & hîc dies octodecim permanſit. Quid præpropero voto numen urgemus? ſuam interdum beneficia moram habent, & ut ſciri magis poſſint, trahuntur. Vt illi, qui è vitâ ſic abeunt, ut ſe ſentiant mori, miſerrimi ſunt: ita qui paullatim ſaneſcunt, magis intelligunt, à morte ad vitam ſe redire. Hic ille artubus ſtupens, & morticinum corpus gerens, primo ſtatim die diſcere potuit, ſalutarem ſibi Collem fore. Statim enim pedi dextero vigor rediit, & quotidie magis magiſque in reliqua membra penetravit. Primi novem dies necdum prӕterierant, & jam fulcra poterant corpus languentis ſuſtentare. Necdum ſecundi novem, & ne fulcris quidem opus erat: plenas vires Diva reſtituit. Sic qui pius fuit, jam denuo cœpit miles eſſe: imò jam denuo cœpit homo eſſe, & è templo ad præſidium ire potuit; ut robore deinceps pietatem coleret, pietate robur.

MIRACVLVM XXIX.

Vox quæ raucedine perierat, restituta.

AMVTA vocem exigam; ab ancillâ, inquam, gravis quam raucedo mutam fecerat. Loqui desierat naturæ vitio, & hoc fortassis sexui grave erat: cœpit rursus Divæ beneficio, & silentium in elogium erupit. Ad rem: ANNA LAMBERTIA, Bruxellæ in domo PHILIPPI RANSTII, & ANNÆ GERSMEVTERIÆ conjugum, fideli famulatu ætatem agens, gravedinem frigore contraxit: molestum morbum; sed quia mora accessit, nocivum. Ad medicamenta veniens, bibere frigidam jussa est: bibit. sed quid hoc erat aliud, quàm aquam aquæ, algorem hiemi addere? Adeò statim raucescere cœpit, ut quoties loqui vellet, cassâ voce fauces cruciaret, halitum sermone viduatum propellens. Parum à mutâ aberat, & gestu coacta est loqui. Pater, materque familias, ut linguam puellæ redderent, nullo non consilio usi sunt; sed ne-

∞.Ix. VIII. Mense Augusto.

quicquam uſi: & hunc in modum biennio & ſex menſibus elingue miniſterium ſuſtinuerunt. Ancilla ſpe vocis deſtituta,& velut in exilium ſermonis miſſa, ſolatium Divæ ſibi putavit ſupereſſe. Quid? ad Collem profecta eſt, in Sacello precata eſt, & viſa ſibi in aliquam vocis umbram redire. Domum ergò poſtridie properat; imò ad vitium ſuum properat, & quemadmodum ſolita, perrexit non loqui. Sed majori deinde religionis affectu votum inſtaurans, in Collem rediit, ſed diutius manſura; in Sacellum rediit, aſſiduè precatura: quod uno nuper non impetraſſet, novem nunc diebus obtineri poſſe. Sed enim aliquid in hoc quoque numero religionis eſt. Preces & pietatem ordinat, & quotidie ex aquâ, quæ in monte colligi ſolet, bibit. Quid dicam? tanquam raucedo ablueretur, creſcere vox cœpit, inclareſcere cœpit: ipſa quæ muta fuerat, loqui. Novem ecce diebus à Divâ factum, quot novendecim quaſi menſibus, nullâ induſtriâ potuit: vox frigore amiſſa, calore pietatis reſtituta eſt.

MIRACVLVM XXX.

Herniæ fœditas ſublata.

IN numero aliquam religionis vim eſſe jam dixi: an fruſtra? eſſe ipſa quoque Diva ſignificavit. Etenim à ramicoſo interpellata, cùm ſtatim dare ſanitatem poſſet, ter adiri voluit, & triadis myſterio beneficium adſtrinxit. Sed ille quidem è pago Tholembecâ, ditionis Edingenſis, fuit, IVSTVS BRVYNIVS, deforme vitium inde à pueritiâ in adultam ætatem ferens. Quò ſe reciperet miſer, niſi ad Divam; & communem naufragorum portum? Recepit ſe, & tamen miſer: imò felix vel ideo, quia miſer fuit. Domum è Colle, jam ſolatii inops, reverſus erat; neque tamen adhuc à Divâ derelictus. Quid enim? ut ſciret patere etiam votis viam, per ſomnium non ita multopòſt admonitus eſt, iter in Collem tertiò inſtitueret. Profectò pluris puto ſic admoneri, quàm curari. Debebat ſanitatem, priuſquam reciperet, dignus liberari mor-

[Margin: ∞. Ioc. IX. Menſe Iunio.]

bo, quia ſomnio credidit. Ne lòngùm loquar, implevit præſcriptum itineris numerum, & mox ſolidatus, præmium credulæ pietatis tulit.

Hernia pendenti tumefactum viſcere pondus,
Occulta labes inguinum,
Inter morborum non infimus agmina morbus,
Abdomen hoſtis occupat.
Sævus & indomitus, nì mollia vincla ſubiret,
Qui carcerem fregit ſuum.
Effuſæ languent diſrupto ramice vires,
Et eſſe vir, vir deſinit.
Quid mulier? morbi ſequior, prægnanſq; ſuorum
Fit viſcerum puerpera.
Fruſtra ſi Medici ſudent, ſi creſcat hiatus,
Et ſpes ſalutis occidat;
Vægrandi bona Diva malo ſolatia mittet
A Colle mitis Aſpero:
Atque viris reddet ſolidato corpore vires,
Et molliori ſexui.

Mi-

MIRACVLVM XXXI.

Puer miſerè luxatus ſubitò reſtituitur.

DIE nox pellitur, morbus Miraculo. Et morbi quidem aliquando florem ætatis, aliquando robur ipſum; Miracula omnem ſalute ætatem occupant. Vbi deſinunt morbi, Miracula incipiunt, nec deſinunt: nempe quamdiu non ægrotas, fiunt. Sic profectò ampliùs eſt, puerum ſanari, quàm virum: longius enim beneficium eſt. Puerum, inquam, & trimum, qualem nunc nobis Antuerpia exhibet, PETRVM, THEODORI PETERSONII, & ANNÆ ANTONIÆ filium. Riſu luſuq; oblectare parentes ſolitus, merum gaudium erat: mox triſtiſſimo ſchemate dolor. Incertum quâ cauſsâ, flere & ejulare totos dies cœpit; quodque mirum, ſine morbo decubuit. Mater dolorem filii ſuis quoq; lacrymis exprimens, ad Medicum feſtinat, puerum defert, ſciſcitatura cauſſam mali. Et quid ille? Breviter: *luxata membra eſſe*. Inde ad Chirurgum,

∞.Iↄc. IX. Menſe Iunio.

preſ-

pressiusque quasi examen: & quid ille? *Spinam dorsi, vertebrasq; spinæ confractas esse.* Id creditum est; sed quâ violentiâ factum, sciri haud potuit. Et quidni sciri tamen? ubi membra tenella, injuriæ opportuna sunt. Interdum pugno enodantur, interdum lapsu eliduntur, sæpe lusus vim facit. Quacumq; culpâ, misellus ille tristi sui spectaculo parentes cruciat, aut sedens continuò, aut, ut se moveret, repens. Matrem autem nescio quis amicorum monet, post irritam remediorum fidem, benignitatem Divæ experiretur: tam facilè in Collem, quàm ad Medicum, aut Chirurgum iri. Illa audit, votum concipit, & eundi occasionem captat. Quia verò & consensu mariti opus erat, huic consilium, sed lubenti ac volenti aperit, & communi conatur voto pietatem augere. Sediculâ suâ juxtà collocatus puer, sermonem parentum auscultat, cùm subitò surgens, matremque transiens, ad sinum accessit patris, & admiranti blanditus est. Ne convaluisse dubitares, cibum puerili more petiit, & tanquam deinceps homo,
ere-

erecto corpore gressum jam formavit. Quid? rursus esse gaudium cœpit, qui dolor fuerat. Mater autem, quem ægrum ferre in Collem destinaverat, sanum tulit; quem suum, non suum jam putabat, Divæ obtulit.

MIRACVLVM XXXII.

Genu latente vulnere saucium curatur.

SÆPE à levi initio ingens malum : & rursus ingenti malo facile remedium. Quisquis homines, & humanos examinat morbos, quod dico, agnoscet verum esse: quisquis Deum, & divina Miracula, rursus, quod dico, verum esse. Quid levius, quàm claviculo cutem pungi, nec sanguinem ullum sequi? Quid gravius, quàm cruciatu confici, nullum remedio locum dari? Sed hæc tamen quomodocumq; sunt, Miraculo minora. Exemplum à virgine Religiosâ, MAGDALENA VERBEVCKIA, è cœtu Clarissarum, quæ Boxtelio Silvam-Ducis commigrârant. Eo autem in templo poplites flectens, dexterum forte fortunà nudumque

∞.Iↄc.ix. Mense Novemb.

N

que genu in clavum, è putri assere transverso quasi digito extantem, illisit. Nullum vulnus erat: dolor tamen quasi à vulnere; sed ille primus ac recens. Nam postquam tolerari potuit, noluit virgo, in rebus præsertim divinis, impediri. Pietatis munia tanquam offensa exsequitur; tantumq; à poplite exigit, quantum præscribere orandi ritus solet. Hoc illud initium leve: sed malum nunc ingens sequitur, quasi irritatum. Etenim intumescere primùm genu, & mox crus totum cœpit: dolor ipse, quasi continuo jam clavo ossa ferirentur, recruduit. Quid etjam? eundi & consistendi potestatem ademit. Mali vim, ut ego jam taceam, aut sedes ægræ, aut lectulus indicabit. Veniunt Chirurgi, vulneri non vulneri manum admovent; sed infelicem. Totas enim sex septimanas occupati, nullique parcentes operæ, operam omnem perdunt. Aliam igitur, rebus desperatis, ipsa Antistita sumit; sed religiosam, sed merâ pietatis fiduciâ fultam. Mittere in Collem, voti causâ, quasdam è Laïcis suis destinat. Admonetur ægra,

gra, gaudet, & quod pede non poterat, voce præſtat, Divæ opem magno affectu implorans. Oris officium non poterat cruris defectu impediri. Animum in preces colligit, & horis continuò quatuor detinet. Videri poterat in ipſo Colle Divam invocare: audita eſt, exaudita eſt. Quippe inter orandum inſolito genu dolore compungi ſenſit, & premi; quem levis deinde mora imminuit primùm, mox diſſipavit. Tam ſubitum igitur σύμπτωμα admirans, faſcias panniculoſque diſſolvi juſſit, quibus & genu & crus involuta erant. Et vis rem magnam? tumorem magnâ ex parte reſediſſe comperit. Statim igitur, quid pedes poſſent exploratura, ſurgit, & ire connititur. Obediunt illi, etſi primo veſtigio non omnino adhuc faciles: obediunt tamen, & vigorem roburque mox plenum capiunt, vitio jam omni non ſuperato tantùm, ſed deleto. Monetur Antiſtita, monentur Religioſæ aliæ, & ad Noſocomium ſimul advolant. An ſuave fuerit tam inſigne Miraculum coràm intueri? lacrymas mittunt, & jam collacry-

mantem ad templum ducunt, gratias & laudes Deo Divæque dicturæ. Poſtero die advocantur rurſus Chirurgi; ſed ut tanquam arbitri adeſſent: qui cùm emplaſtrum tollerent, ſuſtuliſſe ſimul & tumorem reliquum, & dolorem viſi ſunt. Sed ſeriò dicam, & claudam: A levi initio ingens malum; vulnus, inquam, quod nec intelligi poterat, nec curari, Diva abſterſerat.

MIRACVLVM XXXIII.

Puella nata & mortua, vitæ reſtituitur, & baptizatur.

∞.Iↄc. ix. Menſe Novemb.

PARVA ſunt quæ dixi, niſi ad majora veniam. Hactenus enim à morbo ad ſanitatem redire datum eſt: nunc à morte ad vitam puella recèns nata veniet: ſi nec id ſatis, ab Inferis ad cælum. Divinum, non humanum hoc negotium eſt, Miraculum eſt; quod breviter ſic quidem narro. MARGARETA PRETREA, uxor IOANNIS CLERQVII, in pago Eſtreunio Hannoniæ, triſti puerperio mater, nec mater;

mater; prolem priùs denatam, quàm natam, ex utero, velut è ſepulchro ejecit. Sic pari triſte erat, imò ſic parere. Afflicta non uno modo mulier, ſe miſeram, infelicem prolem clamat. Sed obſtetrix ad templum proximi pagi Hervinſarti, Miraculis clarum, infantis inanime corpuſculum deferendum ſuggerit, offerendum Virgini Puerperæ. *Quid enim ſi reſpiciat? quid ſi vivere mortuam velit? Quod fieri non poteſt, facit; quia quod vult, à Deo impetrat*. Magnæ fiduciæ conſilium pater ſequitur, prolem ipſe ſuam defert, ante imaginem Divæ collocat, datâ mulierculæ cuidam curâ, ut eâ ibidem nocte vigilaret, & depoſitum cuſtodiret doloris pignus. Non hîc ſtetit paternus affectus: Sacrum celebrari curat, & vota preceſque continuans, in biduum extendit. Verùm in partu nulla vitæ ſigna, nulla jam ſpes erat. Myſta igitur templi, nefas ratus inter vivos cadaver diutius tolerari; quia profanum, exeſſe è ſacro loco jubet. *Deponeret luctum pater, & frigidum pondus in agro, aut horto ſepeliret*. Ille

 verò

verò tam rigidum mandatum ſuſpendens, Eſtreunium, & quarto jam à natali, vel potiùs emortuali die, filiolam refert; in templo ante exiguam Divæ imaginem, è ligno ſacræ Quercûs confectam, collocat, nihil etjam de pietatis fiduciâ remittens. Sed ut multorum ore preces videretur fundere, ſolenni cantu recitari Virgini laudes voluit. Quid fit? quod mirum, maximè mirum eſt: vitæ quædam auſpicia & ſigna notari in corpuſculo illo conclamato potuerunt. Primùm rubor aliquis circa oculos & naſum, velut vitæ prodromus: mox altera palpebrarum nonnihil laxata eſt. Pater, & qui aderant, firmâ ſpe erecti, & gaudio trepidi, ad horam uſque decimam noctis orationi dant operam. ac tum manifeſto halitu verè ducere animam puella cœpit, ab ore & naribus villos & fila ſerica, vitæ explorandæ cauſsâ impoſita, difflans. Mulier igitur, illa à patre cuſtos conſtituta, infantem jam ſpiritu animatam, & Baptiſmi capacem, ſacro Fonte abluit: quam provinciam à Curione acceptam, ſolitâ & religio-

sâ

sâ conditione complevit. Si puellam ſpectas, hoc jam verè erat naſci, hoc vivere; ſed ut ſcires, non aliâ de cauſsâ rediiſſe in corpuſculum animam, quàm ut beatioris vitæ, & cum Deo duraturæ, particeps puella fieret, ſtatim ut baptizata eſt, fugiente rubore, rurſus pallorem vultu induit, ac ſimul ſemihiantis oculi palpebram clauſit. Tanquam renaſci ſatis eſſet, vivere rurſus deſiit; imò, ut verè dicam, cœpit. Tantiſper enim uſura vitæ conceſſa eſt, dum exciperet ſalutis laticem, & cælo digna redderetur.

MIRACVLVM XXXIV.

Aqua intercus ſanata.

QVID menſes ſequor, & numerum colligo? ſatis fortaſſis erit; ſatis, annos inſignire. Ne ceſſare Divam putes; continua jam Miracula ſunt: ſed fecit frequentia, ut nonniſi magnitudinem æſtimemus. Seligo igitur, nec ſeligo: quicquid Diva agit, eximium eſt. Da Miraculum, magnitudinem oſtendam: ſed quicquid naturam ſuperat,

∞. Iɔc. x. Menſe Sept.

perat,

perat, Miraculum est. Fuit in CATHARINA STERCKIA, MICHAELIS BROERSII, pistoris, Antuerpiæ. Hæc annos nata quadragintaocto, aquâ intercute intumuit. Præcipua ventris sarcina erat, mole deformis, & tanquam elephanti fœtum claudens. Nullam quietem vel in ipsâ quiete inveniebat, tam sedere prohibita, quàm jacere. Si consisteret, genua loco pedum erant: atq; tum brachiis sive scamno, sive sedi coacta inniti; vel si & sic lassa, in latus incumbere. Quàm molestus hic morbus erat, tam anxiè remedia undequaq; quæsita sunt: & ostenderunt verè molestum esse, frustra quæsita. Rursus igitur naturæ benignitati se committens, tres sine ope medicâ menses fuit: imò Divæ se benignitati committens, ire in Collem destinavit, & imaginem tot Miraculis nobilitatam coràm venerari. Verùm difficilem consensum maritus præbuit, ratus imparem omnino itineri conjugis vigorem esse. Ipsa rogat, urget, impetrat; &, ut breviter dicam, profecta est, puellam unam ministerii secum caussâ ducens.

Ergò

Ergò vênit in Collem, eo ipſo tempore, quo Laudes Virgini ex more canerentur. His interfuit, oculos animumque ſimul adſpectu ſacræ Imaginis recreavit. Poſtero die, quicquid pietas ſuadet, fecit: purâ mente, & Dei plenâ numen adoravit. Hinc itineri rurſus ſe committens, ſine labore onus ſuum tulit, ſine moleſtiâ morbum. Domum vênit, & paucis pòſt diebus mirum in modum ſe ſublevari ſenſit. Duos & ampliùs cantharos aquæ reddidit, cùm tribus vix ejectionibus colligere ſolita, quantillum ſatis, ut Medici judicium ſubiret. Iam verò quotidie facillimâ lotii viâ humor ille intercus fluxit, vacuumque uterum, quindecim dierum ſpatio, fecit. Fluxit humor, & ſimul morbus omnis, imò imbecillitas effluxit. Hic ſuſcepti itineris fructus fuit: votum Miraculo inſignitum eſt; & mulier aquâ prægnans, ſine dolore, ſine periculo ſarcinam depoſuit.

MIRACULUM XXXV.

Claudus per terram repens, gressum & vires recuperat.

∞.Iↄc.XI. Mense Octob.

IN Collem nunc ſequar hominem, qui pedum miniſterio deſtitutus, vel repen-do pervênit. Aures adhibete, & fidem: narrabo Miraculum, quod inter præcipua ac decumana legatur. IOANNES BLOMMIUS, tignarius, & civis Agrippinenſis, locare artem operamque fabrilem ſolitus erat. In pago Caſſelio ditionis Moguntinæ, erigendâ contignatione occupatus, ex altiſſimâ ſtegâ in terram decidit, gravique lapſu corpus pænè univerſum conquaſſavit. Conſtructionis ſocii hominem ab opere ad lectum deferunt, & jam quaſi conclamatum. Ille tametſi viveret, ſeſquiannum immobilis jacuit, & ſic mortui imaginem luxatus repræſentans. Fruſtra Chirurgi ſumebant operam: crura pedeſque obriguerant. Poſtquam artis ſubſidia tentata ſunt, naturæ explorantur. Ad thermas vicinas VVeisbadenſes

denses æger vectus est, corpusque aliquamdiu fovit: sed nihil & aquæ potuerunt. Reliquiis igitur virium utendum ratus, monstrum videri maluit, quàm non ire. Si motum gressumque spectes, totos tredecim annos pecudem egit. Humi prorepere genibus didicerat, corio munitis; dexterâ quidem *ὑποπόδιον gerens, quo nitebatur; sinistrâ brevissimum, & subalare fulcrum, quo promovebat corporis molem. Crura retrorsum adeò inflexa & rigida, ut extendi nequiverint. Venter integer robustusque, ab affectis membris cibum exigebat. Vnde, quia malleus ac securis tractari non poterant, subula & scalprum successêre. Qui faber fuerat, cerdo factus; & cùm nullos ipse calceos contereret, aliis consuebat. Omnino aut agendum aliquid, aut egendum erat. Sed cùm hoc jam ageret, & duriter vitam toleraret, sermone nescio cujus consilioque excitatus, proficisci, sive proserpere in Hispaniam, & Flavium Brigantium statuit, Divumque IACOBVM, pietatis & salutis caussâ, visere. Componit se ad iter, & plùs

*Suppedaneum.

quàm Herculeum;litteras quoque publicas, viaticumq; à Magiſtratu Agrippinenſi impetrat. Aliquot jam ab urbe milliaria proceſſerat,& in pago quodam correptus morbo,totum menſem decubuit. Tam profectò lentè ad bonam valetudinem rediit, quàm proficiſci cœperat: ipſum iter longior etjam morbo languor hauſit. Atque interea temporis, in ſomno ſibi videre non ſemel viſus eſt Virginem, humanâ ſpecie auguſtiorem, ſtolâ candidâ fulgentem,& multâ luce radiatam. An videre tantùm? imò & audire. Monentis, ſive jubentis vox erat: *In Aſperum Collem ſe conferret, à Deo & Virgine Dei Matre ſanitatem exſpectaret.* Animatus igitur, & in ſpem non parvam erectus,ire, quocumque modo poſſet, voluit. Quid multis? Aquaſ-Grani primùm prorepſit,inde Trajectum ad Moſam,tum Haſſeletum, Dieſthemium, in ipſum, jam ingruente nocte, Collem. Poſtero die ſummo manè,ter circum Sacellum,gradu ſe ſuo tulit; coràm quaſi oſtendens Virgini, quo in Collem itinere perveniſſet. Hoc velut præmiſſo

misso pietatis præludio, Sacram ædiculam subit, ad aram festinat, & nudatis corio poplitibus, orationi incumbit. Detinetur diutius, ac tribus continuò Sacrificiis summâ pietate interest. An frustra hic numerus fuit? Vocem ter repetitam audire sibi visus est, quâ ut surgeret, monebatur. Vocem, & quam nisi Divæ? Esse credidit, assurgere in pedes cœpit, injectâ columellis manu, quibus ara cingitur; sed & à proximâ aliquâ muliere adminiculatus. Quid? evasit in pedes: crura insolito gravata pondere crepuerunt. Ivit quoque, & è templo exivit. Ivit inquam, gemino primùm scipione, mox altero duntaxat nitens, demum nullo. Sic Bruxellam mox petiit, in publicas tabulas Miraculi fidem memoriamque relaturus. Sed corpori quidem in pristinam formam restituto robur adhuc deerat; accessit: aridæ & exsuccæ tibiæ erant; carne & pulpâ magis magisque vestiri cœperunt. Prorsus profligatâ quindecim annorum miseriâ, rediit quicquid casus rapuerat. Ipse ad Vbios suos, sed

alius, alio gressu habituque, non tanquam cerdo, sed faber. Qui hominem noverant (& quis non noverat?) Miraculum confessi sunt, vim quodammodo naturæ illatam.

BLOMMIVS, primùm faber, inde cerdo,
Membra luxatus graviore casu,
Induit prono miser exsecrandum
Corpore monstrum.
Alter hic CLEMENS, nisi quòd ruinâ
Hausit ærumnam juvenilis ævi:
Ille maternâ, Genio sinistro,
Casus ab alvo.
Alter, & turpis, genibusq; repens
Concavo tectis corio, retortas
Tibias traxit, manuumq; nixu
Transtulit artus.
Dexteram fultus breviore scamno,
Pendulum fixit latus, hinc pusillo
Et subalari malè scipione
Membra gubernans.
Invocat Divam, pietate compos
Redditur voti; pietate fœdum
Exuit monstrum, veterem resumens
Corpore formam.

BLOM-

BLOMMIVS nostri miser est imago:
Sæpius partâ cadimus salute,
Atque luxati vitiis jacemus
Pondera terræ.
Diva, letalem miserare casum,
Subleva lapsos, trepidosq́; firma,
Redde nos nobis, solidumq́; redde,
Diva, vigorem.

MIRACVLVM XXXVI.

Cephalalgia, Febris, & Surditas depulsa.

DOMVM redeo, & viciniam lustro, Miraculum in eâdem muliere tergeminum inventurus. GERTRVDIS STOCSIA, vidua STEPHANI NESENII, Lovanii non procul ab Arce, quam incolo, & liberalitate Regiâ filio majori natu relicturus sum, habitabat; pietati dedita, & modicum rei honestâ frugalitate commendans. Bone Deus, ut senectus mala merx est! Experiri, etiam ante ætatis hiemem cœpit, quantum naturæ frigus peccet. Post alium aliumque morbum, gravi & continuâ cephalal-

∞. Iↄc. XII. Mense Augusto.

phalalgiâ obſeſſa, audiendi ſenſum prorſus amiſit. Tolerari vitium poterat, ſi dolor abfuiſſet: hic duravit, crevit, adeoq́ue ſæviit, ut caput totum nonniſi tormentum eſſet. Febris acceſſit, tanqnam dolore procreata, & à capite in corpus univerſum ægritudinem fudit. Quid ſolatii miſeræ? Pietas in Collem vocabat Aſperum; at imbecillitas arcebat. Modum excogitavit, quo utriq; ſatisfaceret. Non adiit Collem, & invênit. In templo Vineæ Marianæ parva Divæ Aſpricollis è ligno ſacræ Quercûs imago erat; ad hanc acceſſit: &, ne ſine munere veniret, aures geminas cereas in aram miſit, ſimpliciſſimo dono ardentem pietatis affectum offerens. Profectò, quia non audiebat, audita, imò exaudita eſt. Subitò namque, & in ipſo veſtibulo templi, dolor omnis & ægritudo evanuit; & detersâ mali nube, auditum mulier recepit. Quid dicam? E longo rerum ſilentio emergens, intellexit, aures, quia dederat, à Virgine ſibi redditas eſſe. Tantum igitur, tamq́ue repentinum beneficium voce teſtata eſt, & in pla-

plateam procurrens, vicinosque gaudii sui participes reddens, *Valeo*, inclamat, *audio*, *Divæ benignitate servata sum*. Deinceps quoque, ut servatam se ostenderet, ante eandem aram quotidie preces fundere; sæpius munuscula offerre; sic Divam colere, tanquam quotidie vitium, quo semel erat liberata, deponeret.

MIRACVLVM XXXVII.

Sontica cumulati morbi malignitas sublata.

INCLYTA per Orbem terrarum Societas IESV est, pietatis & doctrinæ officina, corrigendo mundi senio divinitus constituta. An Miraculis digna sit, hinc statuo: patravit. Ipsa quodammodo Miraculum est: digna, in quam benignitas Divæ singulari à Colle exemplo derivaretur. IOANNES CLAERHOVTIVS ex hac Societate erat (imò est, sibi quasi superstes) domo Batavus, & innatâ indole priscam gentis suæ pietatem spirans. Homo tamen, & naturæ obnoxius: quippe ægritudine correptus est, &

∞.IↃC. XIII. Mense Martio.

 annum

annum totum in Collegio Yprenſi decubuit, Medicis fruſtra adhibitis, qui vinci artem ſuam confeſſi ſunt. Inde VVinoxbergam vectus, faciliùs mutare locum, quàm morbum potuit, hîc quoq; contumacem. Sexto deinde menſe Antuerpiam delatus eſt, ut felicioribus tandem pharmacis valetudinem crederet. Occupantur Medici, lateremq; lavant. Poſt alios EMANVEL GOMESIVS cauſſam indomiti mali & latebras curioſiùs inveſtigans, apoſtematis vomicisſque viſcera judicavit obſideri: potiſſimùm abdomem, renes, hepar. Reditur ad pharmaca, ſed rurſus infauſta. Crevit vis morbi, tanquam laceſſita; & ne ſimplex videretur, ſymptomatum quodam ſatellitio erupit. Eminebat verò dolor, latera & confinia veſicæ figens. Vnde *ἰσχουρία*, ſive urinæ ſuppreſſio, nauſea, vomitus, quies inquies. Vt paucis dicam: eò æger redactus eſt, ut magis cruciari, quàm vivere videretur. Mox lotium ſanguine mixtum cœpit reddere, & ſanguinem pure maculatum ſpuere, imò vomere. Cùm ejuſmodi rivi ſunt, cogita

quo

quo fonte fluant. Nocebant laxati; obstructi magis nocebant. Et tamen ut nihil omitteret, utrumque sedulâ admodum arte tentavit Medicus; conatus educere, quicquid natura videbatur expurgare; & rursus sistere, quicquid vires simul & vigorem corporis exhauriebat. Sed profectò sine fructu hæc omnia fuêre: auctus remediis morbus, major jam, quàm ut posset imminui. Itaque sibi relictus æger, cùm & mente interdum vacillaret, & Epilepsiâ quoque infestaretur, tantùm non inter mortuos haberi cœpit, ac prorsus ultimo agoni præparari. Triduum adhuc tractum est, & Medicus imminere fatum pronuncians, statuit mox morituri cadaver scindere, ac lustrare morbum, quo superatam esse industriam suam confessus est. Sed ô alia Dei consilia! E fati limine ad Divam se æger attollit, & factâ à Collegii Rectore potestate, iter in Collem vovet, tantum modò daret virium Virgo, quantum via posceret. Quid factum? Eo ipso momento, ac vix concepto voto, nausea desiit, vis Comitialis cessavit, vomi-

tus ſanguinis ſtetit, denique omnis dolor evanuit, ne veſtigio quidem morbi relicto. Hoc verò eſt è tempeſtate in malaciam repente transferri, à morte in vitam. Surgere etiam eadem veſperâ è lecto, & morbo poterat, niſi majoris feciſſet, morem vetanti Rectori gerere, quàm ſanari. Quid dicam? Obſequio Miraculum confirmatum eſt. Manſit in ſtrato, cœnam, ac deinde ſomnum, ut ſanus, cepit. Poſtero die, quemadmodum deſtinaverat, adeſt Medicus; ſed longè alio ſpectaculo detinetur. Quærit mortuum; valentem invenit. Circumſpiciens omnia, admiratur hominem vix hominem, non è vitâ, ſed è morbo exceſſiſſe. Quieſce, agnoſce: Vis hæc numinis fuit, quæ naturam vincit. Humana remedia graviſſimis Symptomatis minora fuerunt: divinis ſymptomata ceſsêre.

Mi-

MIRACVLVM XXXVIII.

Diuturni morbi languor pulsus.

VICINOS Gugernis Vbios viso, urbemque veneror, quæ litteras mihi & pietatem adhuc adolescenti inseruit. Vrbem, origine & majestate augustam, religione sanctam, utriusque Germaniæ, quasi Romam. Sic dico, & ex hac urbe, ex hac Româ exemplum stilo educo, quod in Miracula Collis nostri veniat: educo puellam, ipsa quam stilo dignam Diva ostendit: quia sanavit. Sanavit, inquam, ELISABETHAM MINHOVIAM, in ipso ætatis flore miserè languentem, & lectulo totum quasi triennium mancipatam. Dolor continuus vehemensque cordis mœnia obsidebat, inde quasi tela in reliquum corpus dirigens. Intima igitur laborare, & stomachus deficere, cui gravis omnis cibus erat. Exercuit verò Medicos lenta hæc malignitas, & ut difficilior esset, latens. Indoles morbi quia ignorata, irrita quoque remedia fuêre. Sed irri- ∞.Ioc. XIII. Mense Aprili.

ta, quamdiu humana. Ad Collem proficiſci ſtatuit, & à Divâ ſalutem petere. Quid? Comites invênit, curru vecta eſt, durumque iter, non ſine gravi ærumnâ ſuſtinuit. Comites illi Sacerdotes erant Vbii, & ægrotam ex ipſo ſtatim itinere in Sacellum ducunt, preces fundunt, & ſic quaſi expleto pietatis officio, abitum rurſus parant. Quid illa? Cùm in eandem ſententiam iret, ſubitò detineri ſenſit animum: an & corpus dicam? Manum Diva injecerat: manumque Divæ puella ſequitur, & relicto curru, relictis comitibus, greſſus ad templum refert. Illi attoniti, & exemplo pietatis moti, ſuſpendunt iter, & ſe eunti jungunt. Putares jam à Divâ detineri pariter ac duci. Iungunt ſe eunti, ſacra limina ſubeunt, & ſolenni Deum hymno laudant. Necdum canentium voces ſubſtiterant, & ecce moveri præcordia, ac ſtringi membra ſua puella ſenſit: eâ quidem vi, ut vires omnes à brachiis fugerent, nigreſcere manus viderentur. Poſt hanc nubeculam clara ſtatim ſerenitas emerſit. Depulſus eſt morbus,

bus, & quicquid morbum faceret, quicquid ipſe morbus. Tanti ſanè erat, exigua pietatis mora; cùm longùm iter ſuum quoque intervallum peteret, moleſtia quietem. Proficiſcere nunc puella; itineri apta es: feſtina quoque, ut citiùs tecum tui gaudeant, doloris antea conſortes. Indica civibus, quo beneficio ſanata ſis; & ut exemplum ſequantur, oſtende poſt irrita remedia, rata vota fuiſſe.

MIRACVLVM XXXIX.

Membra morbo fœdè contracta laxantur.

PROGREDIOR, & redire videor Idem ecce malum, idem nomen, idem Miraculum; ſed alio anno, in alio homine, quaſi non alio. Malum, ſed magnum; nomen, ſed parvum; Miraculum, quo jam crevit nomen & inclaruit. SIMON hic BLOMMIVS eſt, ex oppido Grollâ, trans Iſalam ſito, oriundus, Fortunâ modicus, opificio ſutor, ætate ſurgens. Sed quæ annorum fides? Decimum ſeptimum jam agebat,

∞.Ιx.xiii. Menſe Augusto.

bat, & in lecto cubans, gravi humorum in coxas & genua defluxu rigere cruribus femoribusque cœpit, & contrahi. Globum diceres, & è membris quasi jugatis deformem: corpus dimidiato imminutum. Evocatus Embricâ Medicus clari nominis & artis, tentavit in rigidos artus vigorem revocare. Tres septimanæ insumptæ sunt, & nil pharmaca, nil fomenta, nil alia remedia effecerunt. Sic sortem suam ferens, annos duos, menses sex in lecto transegit; & vitam sine motu habuit, quasi non vitam. Tandem igitur è strato in terram veniens, se erigere trunco corporis, ac movere cœpit. Verùm quis status, aut gressus, ubi genua thoraci, & calces clunibus adhærent? Robur à brachiis manibusque sumptum, quæ instar pedum, sed brevibus nixæ fulcris molem corporis sustinebant. Si ludo locus est, non amiserat gradum claudus, sed invenerat, è bipede in quadrupedem commutatus. Sed hoc fœdum: similitudinem bruti exprimere, inclinatum in tellurem pectus ligneis adminiculis librare. Traxit hanc mise-

miſeriam in plures etiam annos, & jam fabula vulgo erat. Embricam aliquando profectus, ut ſacrâ Confeſſione animi labes expiaret, indicavit Sacerdoti, iter hoc ſibi ſuſceptum, ut ad balnea Aquæ-Granenſium pergeret, & aquarum vires experiretur. Ille alio longè conſilio ductus, ſuaſit homini, in Collem Aſperum iret; votis, non thermis ſpem ſalutis committeret. *Cùm tot Miracula invitent, ſpretà moleſtiâ, eundum eſſe.* It ſanè, imò longo itinere reptat; in Collem tandem, ac Sacellum ſcandit, cultum Divæ defert: quo fructu? ut pius eſſet, nullo autem tum quidem ſolatio frueretur. Domum igitur redit, miſer eſſe pergit; donec novo deſiderio actus, denuo prorepere, denuo venerari Divam ſtatuit. Quid multis? in viam ſe dedit, novem ſeptimanas rependo conſumpſit. Sed Collem jam tenens, iterum munia omnia pietatis religioſiſſimè exſequitur. Tertio poſt adventum die, diluculò ad Sacellum progreſſus, matutinas preces ante aram & imaginem Divæ depromit. Primus adhuc fervor erat; & ecce

angi cœpit, atque vertigine corripi. Ergò ut aëre reficeretur, egredi tentat: ſed jam veluti nube quadam oculis obſeptis, ne videre quidem fores potuit. Vnde reverſus, ſubito ſudore totus maduit, & vertigo deterſa eſt. Senſit mox ſubnaſci vires; & iiſdem uſus eſt. In pedes ſe erexit, ſine adminiculo ſtetit firmus, membris jam laxatis integriſque; & in hominis, imò ſani, ſic quidem formam rediit. Nil opus jam fulcris: commiſſum corporis pondus ſuo pedes robore ſuſtinent. Progreditur igitur, ſed ad preces grateſque. Laudare Divam mavult, quàm ire; agnoſcere beneficium, quàm uſurpare. Manſit in Colle tres adhuc ſeptimanas, Divamque continuo cultu veneratus, nunc Sichemium, nunc Dieſthemium commeat, & longiori etiam itineri diſcit crura ſufficere: quæ & plenâ paullatim formâ donata ſunt. Domum vênit, populares ſuos tam manifesto Miraculo in ſtuporem dedit: confeſſos non in vanum coli imaginem, quæ Dei Matrem, ducentis ad Deum repræſentaret. Sed duos eſſe BLOM-

MIOS

MIOS quis miretur? plures esse CLEMENTES posse, Diva ostendit.

Alter erat CLEMENS, *contractum corpore monstrum*
Blommius: *an quisquam* BLOMMIUS *alter erit?*
Alter erit, verùm ipse sibi, velut unus & alter:
Alter, & unius tristia fata geret.
Non tamen è celso prolapsus culmine tigni;
Sed placido tendens mollia membra toro.
Ille gemit casu, hic morbo periisse vigorem;
Et sequitur claudos concita pauperies.
Ecce venit prono figens vestigia gressu,
Qui novus & CLEMENS, BLOMMIUS *& novus est.*
Corporis, hei mihi, quæ facies! perterret euntis
Bruti, non hominis, turpis imago globi.
Curvatis genua exsurgunt vicina mamillis,
Clunibus annexi calce rigente pedes.
Sic repens petiit sacrati mœnia Collis,
Atque viâ languens irrita vota tulit.
Irrita? Sic Divæ placitum: quæ sæpius ire
Huc claudum voluit, sæpius esse pium.

Ille via longum carpens geminumq; laborem,
Sæpius ire potest, sæpius esse pius.
In Collem rediit, nova solvit vota; salutem
Quam meruit petiit, quam petiit meruit.

MIRACVLVM XL.

Muta vocem recipit.

oo.Ioc. XIV. Mense Iunio. LINGVA vocis velut plectrum est, sed suis etiam vinculis detinetur. Alii nascuntur muti, alii fiunt: ac dubites, his, an illis molestius silentium sit. Qui semel loqui desiit, intelligit quantum boni amiserit; qui nunquam cœpit, scire vellet, quo damno mutus sit. Refert etiam, vir, an mulier vocem quærat. Ille loqui, pulchrum putat: illa tacere, miserum. De fœminâ ago; imò de puellâ ago, quæ cùm morbi culpâ aliquando desiisset loqui, Divæ beneficio tacere vicissim desiit. Et quæ illa puella? ubi? quâ ætate? IOANNA LATIA, patris gerens nomen: Liræ apud parentes agens, aut juxta Liram: innocentiæ annos necdum egressa. Vin' miseram non miseram dicam?

Mor-

Morbo, ſive veneficio amiſit linguam, Miraculo recepit. Sed priuſquam amitteret, ſubito & gravi dolore ventris compuncta fuit: ut jam mirari incipiam, quomodo oris vitium ab utero dependeat. Sic muta, quæ hactenus pueritiæ verbis blanda, miſerè parentes torſit: miſera ipſa, quia indicare malum ſuum non potuit. Illi cauſſam ſuſpicati à faſcino eſſe, maluerunt pietatis, quàm Medicinæ ſubſidio remedium quærere. Sacræ igitur obteſtationes adhibitæ, ſacræ preces inſtitutæ: neque ſpes tamen ulla vocis fuit. Auxerunt pietatis ſtudium, &, labente jam Iunio, cum filiâ in Collem profecti ſunt: neque adhuc ſpes ulla vocis fuit. Secundò profecti, & voti munia religioſo iterum cultu obierunt. In reditu mater filiam interrogat, num ubi loci fuiſſet, ſciret? Reſpondet filia, etſi linguâ adhuc impeditâ, *In Aſpero Colle*. Hinc ordiri debuit, ut ad ſermonis uſum rediret. Nominavit ſalutis locum, & oſtendit unde ſolatium manaſſet. Triduum verò rurſus muta, quid niſi dixit, nihil hîc à naturâ geri? Tum igi-

tur loqui cœpit, & perfectiſſimè loqui. Quid parentes? ut agnoſcerent beneficium, tertiò in Collem ſe contulerunt: digni Miraculo, quia grati; digni filiâ, quia beneficio Divæ ſibi reſtitutam agnovêre.

MIRACVLVM XLI.

Paralyſis è brachio depulſa.

∞. Iↄc. xv Menſe Ianuarii.

VENLONA Gelriæ, ad ripam Moſæ, oppidum verè & amœnum & munitum, Patria mea eſt: amœnum fontibus, munitum civibus, priſcâ virtute & pietate florens. Loquuntur hanc utramque templa & monaſteria, religiosè olim & nuperrimè ſtructa. Inter nova unum quidem Virginum eſt, quæ ab Annunciationis myſterio nomen habent, & recenti Miraculo favorem numinis exceperunt. Ego quemadmodum libenter urbis in quâ natus ſum, memini: ita quoque monaſterii, in quo religioſam renovato voto vitam una è ſororibus meis profeſſa eſt. Hìc igitur, ſed ſacri tirocinii ſpecimen adhuc edens, agebat

MAR-

Margareta Diametsaga, Antonii pictoris Aquæ-Granensis filiâ : quæ cùm aliquando manè (adulta æstas erat) Diurnas preces legeret, febri, & gravi simul deliquio animi correpta est. Mortis imaginem morbus expresserat, & aliquid etiam mortis corpori sic affecto intulit. Nam brachium sinistrum gravi nervorum resolutione brachium esse desiit; sed quasi auspicio majoris etiam mali. Tribus deinde pòst mensibus, graviùs afflicta est, totamque brachii paralysim haurientibus tibiis, trimestre decubuit, magnâ jam ex parte, ut sic dicam, cadaver. Quid? ut, priusquam moreretur, monasterii velut membrum fieret, stricto vitæ instituto solenniter mancipata est, imò jam quasi moriens, sacro Oleo inuncta. De remediis nihil dico: variè adhibita nihil profuerunt. Verumenimverò aliud, nec jam humanum, sed divinum Præfecta loci & cœtûs suggessit; hortata ægram, ut totâ se mente Deo, Dei Matri, & tutelæ Ordinis committeret. Hortata simul universum illum cœtum suum, ut junctis animis preces

pro

pro afflictâ funderent: fusæ sunt. Amplius etiam virgo ægra molitur, & majori religionis, quàm vitæ aut valetudinis impulsu. In Sacello tumultuariâ nuper operâ adornato icunculam Divæ è sacrâ Quercu pietas religiosam fecerat. Intimum decumbentis desiderium huc ferebatur: ac tanta salutis fiducia erat, ut si daretur imaginem coràm venerari, omnem videretur morbum excussura. Sed Præfecta solerti pietate usa; quia ad imaginem ferri ægrota non potuit, imaginem ad ægrotam tulit. Erro: imaginem imaginis tulit, quæ ab aliquâ virginum servabatur. Ea brachio affecto imposita, solatium & sublevamen paullopòst dedit. Sed paralytica numine dignam se præstans, Eucharistiæ mysteriis refecta est, transfusâ in Deum mente, quem corpore perceperat. Deum igitur quia pro salute interpellabat, quidni interpretem voti Divam caperet? Cepit, valetudinem commendavit: nec alio fine, quàm ut sine impedimento rebus divinis vacaret. Cùm his cogitationibus æstuaret, candorem ignis videt supernè cir-

ca le-

ca lectum emicare. Stricti erant radii, & à nobiliori lumine, quos clausis etiam oculis percipiebat. Gaudio simul & pavore percussa, tacitis verbis numen invocat, &, *Quid hoc, ò Deus*, inquit, *quid video? si adspici mereor, propitius esto.* atq; subitò fulgor omnis evanuit. A Deo, à Divâ hoc jubar fuerat, hoc fulmen, sed salutare. Nam eo ipso momento subita vis quædam afflictum virginis corpus pervasit, quasi morbum detergens. Adhuc se convaluisse illa nesciebat, & moveri potuit. Dissolvit ipsa fascias suas, & in libertatem brachium expedit. Quid mirum? redierat in nervos vigor, & quæ longo morbo jacuerat, se erexit media, ac jam sedere in lecto cœpit Sic gaudio plena, & simul lacrymis, adfuisse Divæ opem agnoscit, à misso lumine salutem emanasse. Statim igitur totus ille Virginum cœtus advocatur. Sed Præfecta spectaculo mota, & Miraculi jam certa, jubet porrò ægram, non ægram, è grabatulo descendere. Morem illa gerit, descendit, & præeuntes in templum sodales sequitur. Quid? solvit in

laudes vocem, gratiam Divæ persolvit: apta jam deinceps muniis Monasticis, tanquam nullo omnino morbo laborasset.

MIRACVLVM XLII.

Puellæ brachia sensu destituta redduntur.

∞.Iɔc. XVI. Mense Majo.

VELVM plerumque morbi habent, & cùm maximè noxii, caussam & originem abscondunt. Pone investigari naturam posse: ultra naturam fascinus est, & familiari tamen languore tectus, dum communibus tentatur remediis, artem & peritiam omnem eludit. Tale in puellâ Givetensi, MARIA, NICOLAI QVINETI, & MARIÆ CASTELLIÆ filiâ; quæ cùm ruri in cœtu sodalium pernoctasset, tanquam à lecto perniciem trahens, statim post somnum, gravi capitis, simulque brachii dexteri dolore affici cœpit. Surgit, vestes capit, & mox vomitu copiosum viscosæ fæcis rivum effundit. Vix stomacho reddita quies, & brachium, hactenus dolore tentatum, omni prorsus sensu exuitur. Tolerari tamen ærum-

rumna pôterat, his ſi finibus ſtetiſſet. Sed quid? tranſiliit, & ſexto deinde menſe alterum quoque brachium occupans, quicquid hîc erat vitæ pariter extinxit. Digiti immobiles, & in pugnum clauſi, utramque jam manum inutilem fecerant. Illa igitur bruti velùt mores induens, inclinato in menſam lancemque capite, ſumere cibum, & in ore quodammodo manus jam habere. Quid parentes? mœſti tam inſolenti morbo, ad ſacra ſtatim remedia decurrunt, ut ſiquid geniale eſſet, vi religionis mitigaretur. Adeſt Myſta, & divinas edictiones pronunciat. Fruſtra: durat morbus, ac jam protervior, omnem quoque artem & induſtriam Medici fatigat. Interim ſupervacua corporis pondera pannis involuta, pectorique alligata tenebantur: quæ cùm aliquando mater componeret adſtringeretque, profundiùs incauta miſit aciculas, & vincula carni affixit. Neſcivit filia ſe à matre lædi: neſcivit mater ſe filiam lædere. Et quem inferret hæc dolorem? nullum illa ſentiebat. Poſtridie diſſolutis pannis, vulnus errorem oſtendit;

 pel-

pellem nonnisi pannum esse. Ergò in corpore adhuc vivo præcipua vitæ instrumenta quasi extincta, non poterant nisi divinâ ope restitui. Hæc implorata est, sed Divæ suffragio. Pater, mater, ipsa filia sacram non procul Giveto ædiculam quotidie adeunt, in honorem Divæ Aspricollis exstructam. Et ecce aliquod sanitatis initium: nam digiti sinistræ moveri aliquantum potuerunt. Gaudent pariter, & majori paullopòst itinere spem voti prosecuti, in Collem ipsum, jam imminente nocte, veniunt. Differre preces longum erat: & placuit, dilatâ quiete, Divam statim, & in ipso limine venerari. Post parvam satis moram languor animum puellæ occupat, & à matre aliquantum seducitur. Tum verò fugiente prorsus cum verbis sensu, in terram concidit, passa, quod majori admiratione dignum est. Ossa jacentis, tanquam vim exciperent, commota sunt, & suprema brachiorum in pectus contorta, tam fœdâ corporis facie, ut jam filiam mater formidaret. Sed brevis hæc imago monstri fuit: in locum suum artus

ve-

veniunt. Puella ſolvi vincula,& deduci chirothecas, quibus in itinere uſa, voluit:ſoluta ſunt, deductæ ſunt. & mox brachia in caput uſque ſublevans, digitoſque ſine moleſtiâ movens, mortuis in membris vitam oſtendit. Poſtridie tota in gratiarum actionem pietas explicata eſt. Pater, mater, filia, domum; illi læti, hæc ſana redierunt.

MIRACVLVM XLIII.

Elingui vox reſtituta.

INCREDVLI obmuteſcant oportet, quando elingues & muti loquuntur. Aliquoties hoc jam factum, ſed beneficio Divæ; quod niſi calamus noſter loquatur, mutus & ipſe jure habeatur. IOANNES IACOBVS MARCQVILLIVS, è finibus Atrebatum, in Pannoniâ, bello adverſus Turcam tubicen, captus ab hoſtibus fuit. Ergò in ſervitutem fatali ſorte abſtractus, cùm ſæpius & dominum & locum mutaſſet, tandem ad triremes, & ſummam ærumnarum venit. Humanitatis ne vel umbram exſpe-

∞. Iɔc. XVI. Menſe Majo.

ctemus: in Barbaros inciderat: qui immani prorsus scelere rudem adhuc remigem Neptuno suo consecrârunt. Cùm capillos misero raderent (nescio an Christianâ loquentis pietate irritati) magnam simul linguæ partem secuerunt. Nullo jam sermone conqueri de barbarie potuit: ad infantiam reversus est: & sic non loqui quàm servire gravius visum. Parum etiam est secare: capillos cum recîso linguæ frusto minutim dissectos reluctanti in os ingerunt, & cibum esse jubent. Fortassis ne mare violarent, membrum hominis in corpore sepelire voluerunt. Sed ille linguam suam edit, & quantum deinceps loqui potuisset. Linguam, quæ ab ore in pectus missa, hîc etiam loqui potuit; non homines quidem, sed Deum Deíque Matrem compellare. Surdi erant homines: Deus & Dei Mater muti vocem audiêre. Fugæ occasio oblata est, quam cùm nervi & compedes impedirent, subitò ac sponte solutę sunt, & in terram deciderunt. Quid periculi igitur? Deus invitabat: servire diutius pietatis clientem noluit.

luit. Sed ille jam liber priusquam fugeret, felici fugâ tristissimam servitutem evasit. Triennio adhuc à ludente fortunâ circumductus, militiæ tandem nostræ nomen dedit. Si hoc ad rem facit, primùm sub NIORCELLIO Centurione, postea sub MALDEGEMIO in Legione Ducis ARSCHOTANI stipendia meruit. VVesaliæ in præsidio erat, & in gravissimum morbum incidit, cùm jam mutus fuisset annos totos viginti duos. Periculo monitus, votum fecit, in Collem se iturum, si valetudinem Diva daret. Profectò dedit: imò loqui mutum voluit, ut geminum beneficium celebraret, libertatis & sanitatis. Dies omnino undecim decubuerat, & expurgatis conscientiæ adytis, sacram Hostiam recepit. Putares à sanctissimis mysteriis auspicium sermonis esse. Nam quasi linguam recepisset, *Est* & *Non* pronunciare cœpit, qui omnis orationis Laconismus est. Rursus in Auroram proximi diei obmutuit. Atque tum IESV & MARIÆ nomen proferens, ad sermonis facilitatem venit. Ad sanitatem quoque, omni excus-

excusso morbo, venit, & Divæ se beneficio venisse testatum esse voluit. In Collem profectus, votum exsolutum ivit. Sed nónne longè majus est, vocem, quàm linguam recuperare. Sic quoties loqueretur, Miraculum confessus est.

Barbarus hic mos est, post iram ludere ferro,
Et bello captis graviorem morte salutem
Indulgere manu: violantur vincla cruore;
Vincla, modò victis servatæ pignora vitæ.
Crudeles furiæ! nunc tristi vulnere nares,
Nunc juvat auriculas, & nunc præscindere labra:
Transfuga qualis erat mutilato Zopyrus ore,
Qui faciem è facie tollens, virtute decorus,
Dissecto potuit Babylonis mœnia vultu
Subdere Dario: minor hæc victoria fraude.
Atque novum video opprobrium: jam negligit aures,
Et labra, & patulas mitis violentia nares.
Posse loqui scelus est: orisq; sacraria clausam
Dum retinent linguam, victo simul arma supersunt.
Miles hic est, verbisq; ferit, causamq; tuetur

Hosti-

Hostilem, pietate ferox. Sed frangere vocem
Ludus erit ferro. Ludus? sævi, ô malè sævi!
Hanc tamen inveniet mutus, sine voce diserto
Verba fluent animo, fient suspiria voces.
Vt plus posse Dei prognatum Virgine numen
Impietas discat; projectus membra catenis
Expediet miles, longisq; ambagibus erro
Reddetur Patriæ: faciet stipendia: tandem
E morbo ad Divæ veniens altaria, sectæ
Relliquiis linguæ lætus sua fata loquetur.

MIRACVLVM XLIV.

Puer è solario in saxa labens illæsus.

INFIRMA annis viribusque ætas, crimini licet clausa, discrimini tamen patet: quam non cura magis parentum, quàm pietas servat. Illa conjugalis fidei & affectus pignora, quid nisi Dei beneficia sunt? Cogita à Deo esse, & minùs sinistræ sorti licebit: numen cole, & non unum à liberis malum excludes. Exemplum jam quoque ad Miraculum voco, ostensurus, quid in oppido Fumacensi ad Mosam, IOANNIS SI-

∞. Ix. XVII. Mense Aprili.

BERI, & MARGARETÆ LARDINOYÆ pietas filiolo in exitium abrepto profuerit. Navicularіam faciebant, & fortaſſis adhuc faciunt, honeſtate morum, & Religionis affectu commendati. Domi erant, & maritus in ſuperiorem ædium partem aſcendens, filiolam brachio complexus unà tulit, ponè ſequente filiolo quadrimo, cui NATALI nomen. Iam ad primam ſtegam venerat, & è ſinu infantem deponens, filiolum advocat, jubetque cum parvâ ſorore ludere, dum ex altiori ſolario ipſe rediret. Sic puerulo puella commiſſa eſt: ſed ille cuſtode caruit. Pater agit quæ deſtinaverat, moxque rediens, nonniſi filiolam deprehendit. Triſte eſt quod narro. NATALIS, dum ludit, ad feneſtram venit ligneam, adductam quidem, ſed nullo peſſulo aut repagulo clauſam, quæ oſtii inſtar æquaverat tabulato limen, ad perticas contoſque è plateâ recipiendos. Sed puer ſive incurrerit, ſive tanquam ſolido obſtaculo incumbens, fallente cardine, tractus eſt, & in plateam effuſus. Dum infortunii adhuc ignarus circumfert pater ocu-

oculos, animiq́ue pendet; infernè clamantem uxorem audit, triſtiuſq́ue filioli caſui ingemiſcentem. Audit uxorem, & ſubito metu quid accidere potuiſſet evolvens, patere feneſtram animadvertit, quæ lapſum pueri manifeſtè indicabat. Raptâ igitur in brachium filiola, curſim deſcendit. Et ecce mulier, puerum è plateâ ſublatum infert in ædes: quem ſuis ſtatim ulnis pater excipiens, vivum, multâ ipſe morte obſeſſus, invenit. Diſcuſſam ſtatim primam doloris nubem diceres. Oculis igitur manibuſq́ue explorare corpuſculum totum cœpit; integrumq́ue (admirabile dictu) reperit. Ad ſolatia progreſſus, cùm gaudia ſua adhuc non caperet, pavorem pueri blanditiis diſpellere tentavit. Variæ per cubiculum imagines, ceu pietatis teſſeræ ſuſpenſæ erant: has oſtendit. Inter alias unam Divæ Aſpricollis: quam cùm vidiſſet puer, *O pater*, exclamat, *illa, illa eſt, quæ cadentem me ſuſtinuit*. Admiratur ſermonem minimè exſpectatum pater, nec pro vano aut puerili habuit. Nam ad alias mox proce-

dens, aut rediens imagines, ut cauto examine exploraret verborum fidem, *Non, mi fili,* inquit, *illa, sed hæc fuit.* Iterum puer: *Non hæc, sed illa. Novi vultum habitumq; novi quæ me sustinuit.* neque divelli ab hac responsi constantiâ potuit. Pater igitur, quomodo sustinuisset, interrogat. *Gremio,* inquit, *suo, & instar mensæ hujus expanso:* digitum in proximam, quæ adstabat, intendens. *Sustinuit autem, ac deinde leniter humi collocavit.* Dum hæc fiunt, primùm vicini, matris planctibus exciti, mox & frequens populus concurrit: vivere post tam grave discrimen puerum nemo non miratur. Adest & Curio loci, spatiumq; ruinæ dimetiens, novendecim pedes numerat. Augebant stuporem saxa ingentia, quæ cadentem exceperant, manifesti Miraculi duratura velut signa. Parentes, quâ pietate tam insigne meruisse Beneficium visi, prosecuti sunt; & exsolutis primis gratiis, diem servati filii annuo Sacro festum sibi reddidêre. Iter etiam in Collem faciunt; imò iterant, & ipsum ex voto puerum unà ducunt. Is tabulâ infor-

tunii

tunii sui Divæ oblatâ, eundem hunc diem, quo mortem Miraculo evaserat, sibi NATALI Natalem fecit.

MIRACVLVM XLV.

Sideratio nervorum repente curata.

MORBORVM hæc natura est; ut celeri ferè gradu veniant, lento recedant. (∞.Ix. XVIII. Mense Febr.) At verò si graves, subitoque desinunt, manifesto videntur numinis Decreto obedire. Quid multis? hoc Miraculum est, & Verduni in Monasterio S. Mauri Benedictino relucet: in Virgine, inquam, Deo sacratâ, ANNA ALBERTA. Vide morbum, & sanationem naturâ majorem fatebere. Humorum defluxus brachio dextero incubuerat: qui ad renes coxendicemq; descendens, in crus quoq; penetravit. Paucis diebus maturuit malignitas, latusque totum dexterum, & irrigata membra vehemens obsedit Paralysis, similisque siderationi stupor. Itaque continuo velut fato, in tertium annum morbus trahitur; cùm interea longùm va-

lere jam quasi morientem Medici jussissent. Illa verò vel tum maximè invocare opem Divæ Aspricollis ausa est, imò vota concipere, sed nonnisi vicariâ pietate deferenda. Proficiscitur è cœtu Dominicano Vir Religiosus, novemque in Colle dies exigens, solenni quotidie Sacro numinis auxilium invocat. Iussus aquam è Colle lustralem adferre; attulit. Eam statim ægra libavit, cùm priùs in honorem Virginis Purificatæ (cujus id pervigilium erat) animum sacrâ Confessione expurgasset. Postridie Mystico salutis pane refecta, jam sibi hausisse vires visa est; nec non surgendi animos cepit, tanquam ad templum die tam illustri itura. Igitur advocatis binis sodalium, sublevaminis auxilium petiit. Erigitur; verùm irrito adhuc robore: ad ignem ducitur, aut potiùs fertur. Vix collocata, solvi pedem dexterum jubet, qui sinistro alligatus incumbebat. An frustra? movere tibiam hactenus immobilem potuit. Tum injecto in alteram sodalium brachio dextero, sensit pedem ægrum sustinendo corpori esse: simulque
manu

manu ſiniſtrâ de camini trabe icunculam Divæ Aſpricollis rapiens, pectori affixit. Quid etiam? Latus affectum aquâ luſtrali perfudit. Sodales autem, ut ſuâ quoq; pietate fiduciam adjuvarent jam nitentis, repetitis encomiorum formulis, Divæ nomen ingeminare aggreſſæ ſunt, & auxilium petere. O ſubitum robur! ô admirandum ſolatium! Paralytica ſodalibus utrimque innixa, transferre jam pedem, & formare greſſum cœpit. Quaterna, ſive quina veſtigia fixerat, & novis quodammodo fidens viribus, primò quidem recedere ſodalem, quæ ſiniſtro adhæſerat lateri, jubet. Hinc gradus pauculos ſcandens, pervenit ad templum, & abdicato reliquo adminiculo, alacre veſtigium ad Antiſtitam tulit. Mox provoluta in terram, religioſum boni ominis favorem flagitat: quo pronunciato, ſurgit, ad aram procedit, & ingeniculata procumbit, dum ſolenni Deum cantu chorus ille Virginum collaudat. Bonâ fide vires redierant, ſolidæ, & quales ante morbum. Quid? Perire jam memoria morbi poterat, niſi Miraculi

raculi durasset. Sed Virgo quid passa esset, meminisse studuit; ut quid accepisset, nunquam non cogitaret.

MIRACVLVM XLVI.

Febris Quartana detersa.

∞ Ioc. XIX Mense Majo.

ETIAM magnarum mentium serenitati corporis nubes officiunt: & ne homines miremur, sidera laborant. Sol ipse, auctor lucis, nocte quotidie premitur; interdum & deliquio obscuratur Sed ingentia in cælo jam nolo lumina quærere, cùm in terrâ inveniam: peregrinari nolo; exhibet Brabantia virum, quem, ut omnia dicam, & sidus & Solem possum appellare. Summum, inquam, Civilis Iustitiæ Præsidem, PETRVM PECQVIVM, quâ Dignitate, eâ Virtute fulgentem; quâ Prudentia, eâ Elegantiâ. Accedit & majestas quædam corporis, viriumque decus; nuper licet lento febris Quartanæ horrore impeditum. Hæc illa nubes fuit, quæ serenitatem Belgici sideris, imò Solis aliquamdiu quidem obfusca-

fuſcavit ac detinuit: quæ gravem omnibus anni hiemem fecit. Nulla induſtria expugnare morbi contumaciam potuit: & omnia tamen remedia tentata ſunt. Quia mutati aëris novitas, graſſantem ſanguinis intemperiem ſæpenumero corrigit, ſi priùs æſtuare curis animus deſinat: placuit & valetudinem ſobriâ quiete, amœnoque ſeceſſu quærere. Venit Lovanium Vir ſanitate digniſſimus, & ut ſuaviùs reſpiraret, à Muſis exceptus eſt. Sed quid? una Saturni filia, quadrimo circuitu infeſta, novenas illas Iovis etiam tum repreſſit. Igitur nefas viſum à negotiis abeſſe, ſi nulla ab otio ſpes ſalutis manaret: imò alter jam morbus erat, pro Principibus & Republicâ non occupari. Redit Bruxellam, & ad curas, Curiæ Minos: & cum febri dies dividens, ſe ſibi redeuntibus morbi induciis vindicabat. In diuturnâ hac autem æſtûs frigoriſque pugnâ moroſum ratus ſalutis beneficium, quod à naturâ exſpectaret, petere à Divâ ſtatuit: aſcribere quoque Divæ, quod ſi benigna eſſet natura, dare pridem debuit. Villariæ Virgo

quoque Aſpricollis, & potiſſimùm à febriculoſis, frequentari cœperat, Miraculis quotidie inclareſcens: huc, ducente pietate, invitante loci Antiſtite, vetus hic Virginis cultor, deficiente jam pænè vigore, profectus eſt. Nec mora: Sacellum ſubiit, votum prompſit, & quid hæreo? horrere deſiit. Benignam Divam, an te felicem, Vir Ampliſſime, dixero? Tanti pænè erat ægrotare: tanti erat impediri animum corporis nube, ut ſerenitatis Mater eam depelleret. Sed quid ego plura? rem ipſam loquuntur Verſus tui, quos adjungo; illi prorſus nitidi ac Latini: qui ut Scriptioni huic meæ lucem non interituram addent; ita intercidere Divæ Beneficium non patientur.

Novem malignâ febre fractus menſium,
Medicæq; iam ſpem mente deſerens opis,
Opem requiro cælitus, ſupplex novam,
MARIA, *ad aram provolutus hanc tuam.*
Voco MARIAM; *culpa Matrem non ſinit.*
Sed ecce Mater, Mater illicò es mihi.
Quartana febris abiit. ô benignitas
Dei parentis immerens hominum in genus!

Abiit

Abiit repentè febris. Id gestum rei,
Villariensis Aspricollis in jugo,
Cognoscat ætas nostra, postera & sciat.
Ego grata laudis usque & usque cantica
Matri salutis offeram venerans meæ.

EPILOGVS.

Limes scriptionis. Miraculorum fructus. Melos votivum.

SVAVE iter est, quo per Divæ laudes stilus decurrit: sed Miracula, laudes sunt, & ipso crescunt spatio, velut in infinitum porrecta. Fontem ecce in viâ video, & eum quidem perennem: ut subsistam ac respirem nova & surgens scaturigo jubet. Ad ultimos jam quidem annos ventum est, numerusque Miraculorum volumini sufficit, sine molestiâ sic quidem evolvendo. Cur excusem? pauciora LIPSIVS scripserat, & volumen potuit facere. Ergò tanquam rediturus in viam, limitem hîc statuo, & argumentum ἀτελὲς, confecto quasi Miraculorum circulo, ad novum narrandi initium

deduco. Tu quidem, ô Diva, devotum tibi hunc calamum habes: meipſum habes, qui dum movere calamum potero, ſcribam quæ patrare pergis; & quantum licebit colligam, quæ largâ manu ſpargis. Perge patrare, perge ſpargere, perge Beneficiis cultum tibi Matri aſſerere, quæ Deum terris dediſti: tibi Virgini, quæ in Deo homines tanquam filios complexa es. O ſuave Matris nomen! ô pretioſum Virginis! Sed facient Miracula, ô Mater, ô Virgo, ne ad naturæ leges auguſtiſſimam conditionis tuæ felicitatem incredulitas revocet: faciet manifeſta tot hominum ſalus, ne ſuâ Miracula fide ſpolientur; plures autem frui ſalute cupiant. Deus ut Matrem haberet Virginem, non ſine maximo Miraculo natus eſt: Virgo, ut Dei ſe oſtendat Matrem, diſpenſat Miracula; quæ cùm fieri in terrâ non poſſint, à Cælo derivantur. Sanè quia Miracula Diva patrat, adhuc docet, ſe matrem Dei eſſe, & è Virgine natum eſſe Deum: docet, ſe jugem mortalium curam gerere, quæ proxima Deo, delatum ab hominibus cultum in

Deum

Deum transfert, ſic quoque Mater, ſic Virgo. Sed tibi ego Matri, tibi Virgini, tua, id eſt Dei MIRACVLA repræſento, reddo, & offero, calore quodam pietatis & impetu exarata. Miracula, & (jam dixi) quid niſi laudes? quemadmodum nuper, ut laudes tuas doteſque ornarem, θαύματα, ſive Miracula ſcripſi, & inſcripſi Pietatis. Illa tum ad aram tuam, ô Diva, ſuſpendi, hæc ſuſpendo: & Melos votivum repeto, quo dedicatum ſemel animum ſolenni pietatis ſacramento denuo obſtringo.

O VIRGO *Mater Virginum,*
Matrumq; Virgo, quæ Aſperum
Collem regis, non aſperum:
Te fuſa gens mortalium
Per abditos mundi ſinus,
Iber, Britannus, Sarmata,
Civisq; flaui Tybridis,
Salutis indigens, adit.
Te, proximo qui limite
Germanus, aut Gallus premit
Rheni latus, Moſæ latus,
Salutis indigens, adit.

Hic mentis, ille corporis
Aeger, petit ſolatium,
Et impetrat; iam mitius
Terens ſolum, Penatium,
Et hoſpiti felix laris,
Et urbis, atque mœnium.
Strata jacent tot ilices,
Duroq́, ſub ferro gemunt
Nodoſa ligno robora:
Iacentq́, nuda vepribus
Dumeta, teſqua ſentibus,
Calcata libero pede,
Et integro veſtigio.
Ergò omnis horror exulat,
Horror malus. Quid amplius?
Et impii domita jacet
Erroris obſtinatio,
Claris fidem MIRACVLIS
Audax negare: ſed jacet,
Calcata tot MIRACVLIS.
Accedit iſte nunc tui,
O Virgo, vatis PROTEVS;
Accedit iſtud nunc tuum
MIRACVLVM MIRACVLVM;

Pictus

Pictus tot astris PROTEVS,
Versus pius tot Versuum,
Lucens tot ignibus Pharus,
Vnius & Versûs Liber,
Vnius & Versus Libri:
Quem tu benigno respice,
O virgo Mater, numine.
Sed hæc simul mea, hæc mea,
O virgo Mater, hæc mea
Favore blando THAVMATA
Dignare; mentis innocens
Quæ fudit ardor, intimas
Carpens medullas flammulis
Cælestibus. Sic virgine
Correptus igni, igni pio,
Miranda laudo, sed tua;
Laudanda miror, sed tua.
Tu namque, Virgo, concitas
Hanc entheatam pectoris
Auram mei, hanc oris mei;
Meoq́ verba sensuum
Fœcunda subseris stilo;
Fœcunda succi, sed pii;
Fœcunda floris, sed pii.

Tu;

Tu, Virgo, ſcribis, tu meo
Hæc pangis ore THAUMATA,
*Amœnioris ingen*I
Imbuta rore THAUMATA.
Hæc ergò reddo, quæ tua
Sunt, quæ loquentur me tuum.
Beatiore teſſerâ
Cælestium quis cœtui
Se miſcuit? ſed Virginem
Hac teſſerâ ſequi licet,
Matremq́; habere Virginem.
O te ſequar! te habeam mihi!
O Virgo Mater, te ſequar!
Curis nec illiger malis!
Votis nec illiger malis!
Caligo mentis pertinax,
Errorq́; cæcus lubricam
Mortalium vitam trahit.
Hic Venere molli diffluit,
Hic feruido merſus mero,
Instar jacet cadaveris:
Eſt qui cadaver ambulat,
Vivo ſepultus corpore.
Hic mille ſtipat artibus

Aurum,

Aurum, ſed ipſo in auro eget:
Hic ore fertur omnium,
Ignotus & vivit ſibi.
Ludibria, ô ludibria!
Te, Virgo Mater, te ſequor,
Ad magna cæli ſidera,
Ad pulchra cæli ſidera.
Quid magna, pulchra nomino?
Te, Virgo, qui videt, poli
Lucentis igneas faces,
Et quicquid eſt magni videt,
Et quicquid eſt pulchri videt.
Tu ſiderum ducis choros,
Mundiq́ꝫ, Virgo, mundus es.
An plura? Mater es Dei,
Es THAVMA, *Virgo*, THAVMATVM.

FINIS.

MIRACVLORVM
INDEX.

MIRACVLORVM INDEX.

APPROBATIO.

Ser. De S. Laur. Psalm. LXVII. QVOD de Sanctis D. Leo verissimè dixit: *Deum qui mirabilis est in Sanctis suis, in ipsis non solùm nobis constituisse exemplum, verùm etiam præsidium*; id in Deiparâ Virgine vel præcipuè obtinere, hæc ad invocationem atque imaginem ejus ex fide conscripta Miracula non obscurè declarant: quæ proinde ad majorem Dei & Virginis Matris gloriam, Catholicæ fidei confirmationem, atque hæreticorum confusionem utiliter ac religiosè proferentur in lucem.

GVILIELMVS FABRICIVS,
Apostolicus ac Regius librorum Censor.

PRIVILEGIORVM

SVMMA.

PRIVILEGIO PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis Catholici, & LVDOVICI XIII. Galliarum Christianissimi, cautum est nequis hunc librum, qui inscriptus est, *Eryci Puteani Diva Virgo Aspricollis: Beneficia ejus & Miracula novissima*, sive typis suis excudat, sive excusos alibi, venales inferat, præter *Henricum Hastenium*, Vrbis & Academiæ Lovaniensis Typographum, ejusque consortes, quibus editio hæc & venditio ab ipso Auctore permissa est. Qui secus faxit, præter exemplarium confiscationem, gravem etiam mulctam incurret, quæ litteris Regiis continetur.

CASP. GEVARTI

AD

DIVAM ASPRICOLLEM

VOTVM,

PRO SALVTE AC LONGÆVITATE

Serenissimorum PRINCIPVM:

Conceptum & effusum in ipso Colle, Kalendis Maii.
∞. IↃC. XX.

DIVA, *Brabantinæ Decus & Spes unica gentis,*
Publica morborum Domitrix, commune gementum
Numen, inempta Salus; RIGIDI *qua vertice* COLLIS
Degis, & optatis gaudes subscribere votis:
Ecce tuas Princeps supplex procumbit ad aras
AVSTRIACVS, *quo non alius præstantior unquam*
Dux Pietate fuit, vel justis clarior armis.
Non illum exhausti languentia membra morari
Corporis, armorumq́ graves potuëre paratus,
Quin Colles, ô DIVA, *tuos, quin sacra subire*
Limina, dilectosqúe arderet cernere vultus.
Quin etiam Hesperii proles Augusta Philippi,
Cœli progenies, socios ISABELLA *labores*
Iunxit, & hortanti voluit comes ire marito,
Quò Pietas, quò duxit Amor. Num clarius exstat
Relligionis opus? Tu vota admitte, piasq́,
DIVA, *preces: magnumqúe Ducem, quo sospite floret*
BELGICA, *& immensis tollit caput æmula Regnis,*
Longùm orbi servare velis, festinaqúe pelle

Fata procùl, viridiqúe renatum redde Iuventa,
Nestoreosqúe diu felix accedat ad annos,
Nestoreum quia pectus habet. Nec Paonis herbis
Pergameiúe senis, doctiúe Machaonis arte
Est opus: Aethereo tantùm tu lumine, VIRGO,
Respice, & exhaustas in corpore suffice vires.
Tum tibi, flauentes quà Demera concitat undas,
Muneribus Delubrum ingens ornabit & aris,
LAVRETANA *novam stupeant ut culmina molem,*
Dum coleris majore tholo fanoque rotundo
Aemula Romuleis tollis fastigia templis.
Quin etiam totam, regnet quocunque sub axe,
AVSTRIACAM *serva, Genitrix sanctissima, Gentem.*
Sic meruit Pietate Domus: hâc auspice, CHRISTI
Numen ad Auroram procùl, Hesperiumqúe cubile
Transit, & ignotos Pietas penetravit ad Indos.
Hanc tamen, hanc geminos Gentem quæ subdidit axes,
Veraqúe Barbaricis ostendit Numina terris,
Non sibi, sed Cælo vincens; hanc fædere diro
(Prô facinus!) propriis scelerata assultat in arvis
Hæresis, & patriis certat depellere Regnis.
Inde PALATINVS *grassantes Marte Bohemos*
Concitat: inde novos dat Pannonis ora tumultus:
IMPERIVMQVE *suis concussum viribus in se*
Vertitur, & proprio laniat sua viscera ferro.
Vndique, ut Herculeæ cervix rediviva Colubræ,
Vndique per populos civilis gliscit Enyo,
Germanasqúe trahit perjura ad prælia turmas.
Quò Pietas, VIRGO, *quò Fas, quò Iura, Fidesqúe,*
Quò Leges cecidêre poli? Num terminus ergò
AVSTRIACÆ *Ditionis erit, quam Suevica Vates,*
Fatidicaqúe pius firmavit voce Sacerdos?
Tu prohibe, tu DIVA, *nefas: populumqúe profanum*
Disjice, & insanum Regnis averte furorem,

Et con-

Et conjuratas victrix exscinde catervas.
AVSTRIACÆQVE *Domus pulcherrima sidera semper*
Eniteant, lateq́; novo sese efferat ortu
Martia progenies: servatoq́; ordine fati
Inclyta perpetuo vigeat splendore propago.

LOVANII
EXCVDEBAT
HENRICVS HASTENIVS,
IN ARCE,
ANNO ∞. IↃC. XXII.